Hydriat.
18

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn263430286/1
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Physic: 443

380

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn263430286/2
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn263430286/3
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn263430286/4
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

1099

GREGORII HORSTII, D.

DISSERTATIO

DE NATURA THERMARUM,

IN ILLUSTRIS ACADEMIÆ GIES-
SENÆ PANEGYRI PROPOSITA, CUM DO-
ctiss. Viro, JOHANNI HEMPELIO Silesio Lau-
rea Doctoralis solemniter XV. Cal. Sept.
AN. M. DC. XIV. impone-
retur.

CUI ANNEXA EST RESOLU-
tio Quæstionis, de modo, quo mineralium
virtutes aquis subterraneis com-
municantur.

GIESSÆ,

Ex Officina Typographica Casparis Chemlini,

ANNO M. DC XVIII.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn263430286/5
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

GREGORII HORSTII D.

DISSERTATIO

DE NATURA THERMARUM

ILLUSTRIS ACADEMIAE OLIS-

SIPONTINAE PROFESSORIS PRIMARII CON-

SILIARII Vitebergensis, JOHANNI HEMPELIO Silesio AMI-

CO Doctoris Solennitate XV. Calend. Sept.

AN. M. DC. XIV. disputa-

TUM.

EX

Officina Typographica Calpanio-Chemlana,

ANNO M. DCXVIII.

NOBILITATE GENERIS ANTIQUA, PROPRIAQUE VIRTUTE ET ERUDITIONE PRÆCELLENTIBUS,

nec non ampliſſima generis proſapiâ & eruditione virtuteque Ornatiſſimis Viris

Juvenibus,

Dn. Alberto à **Creutzen** / *Eq. Boruſſo,*
Dn. Friderico ab **Hobe** / *Eq. Pomerano,*
Dn. Johanni **Benckendorff** / *Rigenſi Patritio,*
Dn. Gabrieli **Schuhman** / *Dantiſcano Patritio,*

S. P. D.

DUplex eſt defectus noſter, Viri Juvenes Nobiliſſimi, cujus redintegrationem homines verè ſic dicti maximè per vitam hanc exoptant, animi videlicet & corporis imbecillitas, unde quantum fieri poteſt in hac vita ad animi corporisq; perfectionem aſpiramus, quorum illud rerum cognitione completur, hoc autem in ſanitatis preſervatione

tione

tione consistit. Ad utrumque suo modo plurimum inservit Thermarum & Mineralium aquarum Natura cognita, cujus abstrusa proprietas non parum hactenus hominum ingenia exercuit, ita ut fortassis etiam hanc ob causam Herculana Balnea dicantur Thermæ, quamvis hoc nomen Athenæus lib. 12. iisdem tribuat, propterea quod interpres Aristophanis in Nebulis scribat, Ibycum autorem esse, Vulcanum muneris vice submisisse Herculi balnea calida. Utut sit, difficultatem hîc nullus negabit, ita ut quàm multa miranda, plurima rimanda sese nobis offerant, ubi maxima talium thermarum diversitas in universo terrarum orbe consideratur. Taceo miraculosa, quæ de quibusdam fontibus à fide dignis autoribus referuntur: quis enim crederet, quod scribit Cardan. de subtil. lib. de elem. in Bonicca Insula fontem esse in montis vertice, qui senes restituat, non tamen canos mutet, nec tollat jam contractas rugas? quis non miratur, quod habet Sozomenus lib. 5. cap. 21. de fonte circa Emaus, ubi Christus cum Cleopha post resurrectionem ambulans pedes aliquando lavit, qui eam accepisse dicitur facultatem, ut omne morborum genus abigat? Naturæ miraculum est, quod Plinius scribit libr. 31. cap. 1. in Bæotia ad Trophonium Deum juxta flumen Orchomenon duos esse fontes, quorum alter memoriam,

alter

alteroblivionemadferat. Sed miſſis hisadeatantum oculos noſtros convertamus, quæ nobis ferè domeſtica ſunt, dum etiam in meditullio patriæ noſtræ, præſertim hîc in vicinia non tantum ſponte ſcaturientes aquas calidas ad diverſas morborum ſpecies optimè conferentes conſpicimus, ſed ſimul quoque fontes ſubacidos, ſubſalſos, ſulphureos, nitroſos, aluminoſos &c. ad omnem ferè ſanitatis tutelam ſingulari divina benedictione comparatos guſtamus. Exclamemus cum Pſalmiſta: quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti; Tu quod Syrac. habet, è terra Medicinam creaſti, quam vir prudens nõ aſpernabitur. Balneorum apud Romanos luxus potius quam uſus erat, ita ut referente Cœlio Rhod lib. 30. lect. antiq. cap. 19. non ſtatuas modo innumeras & columnas nihil ſuſtinentes viſere erat, ſed eò quoque perventum eſt delitiarum, ut nihil niſi gemmas calcare vellent. At in thermis & acidis patriæ noſtræ communis multo majori jure & ſtatuæ gratitudinis & præconia divinæ benedictionis atque clementiæ, quotannis infinita eſſent erigenda, quibus videlicet ex univerſo ferè terrarum orbe diverſis malis affecti levantur. Cum igitur medicatorum fontium cognitio Creatoris omnipotentiam & beneficentiam largè demonſtret & imbecillitati corporis noſtri miris modis ſuccurrat, dignam omnino

judicamus hanc materiam, quæ penitius cognoſcatur, ut & in hac parte noſter intellectus ab ignorantia liberetur & corpori noſtro variis morbis ſubjecto ſuccurratur. Hoc nos quoque movit, ut, cum pro ratione officii, publicè dicendum eſſet, de natura thermarum quædam proponeremus, quæ vobis, Nobiliſs. Doctiſſimique juvenes inſcribere placuit, propterea quod in vobis præcedenti æſtate ad Acidulas Schwalbacenſes non tantum deſideriũ magnum cognoſcendarum rerum naturalium inprimis huc pertinentium conſpicerem, ſed ſimul quoq; ſingularem veſtram benevolẽtiam in itinere per dies aliquot mecum ſuſcepto experirer. Boni conſulite hoc quicquid eſt, ex affectu amico profectum, & ὅτι μήκιστον vobis, ſtudiis veſtris, & aliquando Reipublicæ Valete & & Vivite, GIESSÆ Cal. Octob. 1617.

V. Studioſs.

GREGOR. HORSTIUS D.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn263430286/10 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

In Dissertationem DE THERMIS *Clarissimi Viri*

Dn. GREGORII HORSTII MEDICI EXPERIENTISSIMI, ET ARCHIATRI HASSIACI DIGNISSIMI, COLLEGÆ Compatris & Amici sui plurimum dilecti.

DUm sibi Plutus opes condit tellure sub imâ,
Divitiisq; implet terrea claustra suis:
Omnia sese inter miscet, confusaque turbat,
Humida cum siccis, frigida cum calidis.
Inde calor venis terrarum se ingerit aptis,
Et per aquam vires egerit ipse graves.
Tangis aquam? clamas, qui me nunc uritis ignes?
Usque adeò sulphur vim dedit, unda, tibi.
Ebullire vides thermas? strepitu crepituque
Egeritur fluvii copia magna boni:
Atque unà exhalat vis gazæ divitis ingens,
Quam Sais ipsa suo corpori inesse petat.

Æger

Æger es, & putres languent tibi corporis artus?
Teſtatim in thermis ablue, ſanus eris.
Quî tamen id fiat, novi, miraberis hoſpes:
Rimare: haud facilis res ea viſa tibi eſt:
HORSTIVS herbarum dominus, Floræq; ſacerdos
Indagavit opes, infere Plute, tuas.
Hic aperit cauſas latebras ſcrutatus opertas,
Quî calor humori conſociatus eat,
Quas etiam gazas ſecum vehat unda caleſcens,
Vnde Æger ſano corpore abire queat.
Hinc liber hic parvus jucundo munere plenus
Atq; uſu ingentes, ecce! triumphat opes.
Conſule grandiloquos immenſa volumina libros:
Parvulus hic punctum grande libellus habet.

CONRADUS BACHMANNUS Hiſtor.
& Poëtices Profeſſor, p.t. Collegii ſui
Decanus.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn263430286/12
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

DE NATVRA THERMARUM.

QUam magnificata sunt opera tua Domine, omnia enim sapienter fecisti: impleta est terra possessione tua. Dante te colligent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum & deficient & in pulverem suum revertentur: emittes spiritum tuum & creabuntur & renovabis faciem terræ. Sit gloria Domini in seculum: lætabitur Dominus in operibus suis. Psal. 104.

Liceat mihi, *Magnifice Dn. Rector*, &c. liceat mihi verbis Psalmistę dissertationis initium facere & ab ex clamatione divinæ laudis exordiri. Dum enim universam Naturam intueor & pro more præsentis actus Panegyrici, quoddam argumentum ab instituto nostro non alienum seligere conor, quo me cunque verto, quamcunque viam ingredior, quorsum aspicio, nihil invenio cui non luculenta, manifestaque divinæ majestatis exempla per quam plurima insint, quod etiam in rebus minimis, quas non rarò sensus noster aspernatur ac respuit, animadvertimus, vel unico etiam *Araneo* teste, cujus genus aliquod Philosophus σοφώτατον καὶ τεχνικώτατον, sapientissimum & artificiosissimum nominat, quod filis quoque versus distensis texendo stamina ducit, & repositorium ac cubile sibi constituens atque in operis sui medio venationem exercens, instar militis succẽturiati

Nihil in natura tam abiectum, quin creatoris potentiam & majestatem innuat. lib. 9 de hist. an. cap. 39.

riati beſtiolas incidentes adoritur, & in momento, more periti aucupis, ſuis ſtaminibus irretire ſatagit. O admirandam conditoris noſtri ſapientiam, qui imperfectiſſimo & abjectiſſimo huic animalculo, quo vix invenitur contemptius & homini magis exoſum, machinationem & ſolertiam ejuſmodi tribuere voluit, ut ab hoc ἀδιδάκλῳ & ἀπεδεύτῳ Geometrica Elementa, texendi, ſarciendi, venandi, aucupandique rationem homines didiciſſe videantur! Sed mittamus hæc & hujus generis ſexcenta, & ad alia altioris indaginis à Profeſſione noſtra minus aliena, nec exoptatiſſimæ huic concioni, quod ſperamus, ingrata futura nos convertamus. Inter ea vero quę hoc ampliſſimo conſeſſu digna judicamus impręſentiarum nobis arridet miraculoſa thermarum ſcaturigo, de quâ pro temporis ratione paucis agam, naturæ potius veritatem, quam Oratorum præcepta ſequendo. Vos modò quotquot adeſtis, Auditores, verba mea, quâ ſoletis, humanitate excipite & diſſertationis meæ curſum aurâ favoris veſtri promovete.

Inter multa ſatis admiranda, quæ thermis inſunt plurimum dubitari poteſt de earum calore æſtuali.

Quanquam infinita ſunt, quæ mirari potius quam rimari cogimur in fontium ac thermarum origine, cum non tantum admirandas earum qualitates, odorum, ſaporum, colorum & conſiſtentiæ diverſitate plurimum differentes perpendimus, ſed ſimul etiam effectus ſalutares penitius introſpicimus, ubi tantum illarum uſum in omni Medicinæ parte deprehendimus, ut ope thermarum morbos præveamus, ſanitatem præſentem defendamus, abſentem reſtituamus, & non rarò, dum in graviſſimis morbis aliâ artificii medici ratione fruſtra laboramus, ad has tanquam ad anchoram ſacram confugiamus: nihilominus vix aliquid magis in hac materia reconditum atque abſtruſum eſſe videtur, ut ab ovo, quod dicitur, rem ordiamur, quam vera iſtius caliditatis cauſa, quam in aquis ſponte manantibus

tibus, ſenſu teſte, deprehẽdimus, utpote cujus inveſtigatio multa & excellentia ingenia per omne ævum fatigavit. Omnino verò conceſſum eſt omnibus caliditatem ejuſmodi, quam in thermis animadvertimus, aquæ adventitiã eſſe, adeoque cauſam aliunde quærendã eſſe cenſent. *Vetes* vix ullam caloris iſtius cauſam propriam interris deprehendentes, ad communem & univerſalem æthereum calorem omnia retulerunt: hinc *Zeno*, *Cleanthes*, *Chryſippus*, referente *Cicerone de Nat. Deor.* aquæ *naturæ calorem* admiſtum ſtatuunt, unde motus & omnis ejus calor oriatur: diſtinctè magis loquitur *Thermophilus*, qui ſolem per raros terrarum poros penetrare & in profunditate viſcerum roberari, calefieri ac inſtar ignium aquas ibi calefacere & comburere poſſe ſtatuit. Sed quis noſtrum eſt, cui quicquam probabilitatis præſens aſſertio habere videatur? quis enim ſolis calori fervorem ſcaturientium aquarum tantum, quo videmus porcos depilari, gallinas deplumari, pennarumque compagem reſeratis meatibus reſolvi, tribueret? de *Icaro* quidem fabula eſt, arrogantium hominum auſus ridiculos innuens, quod artificioſum volatum attentans, exitu minus felici ſolutis fervore ſolis alarum compagibus præceps in mare dejectus fuerit: at alas has minimè naturâ ſed artificio per ceram induratam junctas fuiſſe fabulantur. Quî, quæſo, ſolis calor profundos terrarum hiatus tam efficaciter illuſtraret, qui juxta poetam vix poteſt

Convenit inter omnes thermarum caliditatem eſſe adventitiam.

Opinio quorundam veterum, thermarum calorem ab univerſali æthereo calore dependere.

Refutatur prædicta opinio.

per ſepta domorum Lucret.
Inſinuare ſuum radiis ardentibus æſtum.

Imò ſi humili noſtrarum ædium parte, cellis non altè nimis effoſſis æſtum ſolis excludimus, quid abeſt, quo minus concludamus, hanc opinionem à veritate penitus alienam haberi? taceo quod radii ſolares non calidi neque frigidi

sint, nisi virtute; quæ in materia benè dispositâ manifestatur, & pro ratione temporum ob refractionis diversitatem aliter atque aliter operatur. His & aliis difficultatibus coacti quidam veterum ab hac assertione discesserunt, & relicto calore solis, æquivocâ generatione thermarum caliditatem demonstrare conati sunt, inter quos numeratur *Mileus*, qui ventum vel spiritum terræ cavernis inclusum, impulsu & agitatione calefieri, & hoc modo calorem sibi acquisitum subterraneis aquis communicare statuit. Nam juxta Lucretium,

Opinio aliorum qui statuunt, thermas calefieri calefactione equivoca.

Omnibus est porro in speluncis ventus & aer,
Ventus enim fit, ubi est agitando percitus aer,
Hic ubi percaluit, calefecit quæ omnia circum
Saxa furens, quacontingit, terramque: & ab ollis
Excussit calidum flammis velocibus ignem
Tollit se ac rectis it a faucibus ejicit altè
Funditque ardorem longè, longeque favillam
Differt & crassâ volvit caligine fumum,
Extruditque simul mirando pondere saxa.

Sed demus ventorum atque aëris in terræ cavernis inclusorum vim esse maximam: nam

Quid aer & ventus terra inclusus non possit esse causa caloris thermarum demonstratur contra predictam opinionem.

Terra supernatremit magnis concussa ruinis
Subter ubi ingentes speluncas subruit aer:
Quippe cadunt toti montes, magnoque repente
Concussu late discerpunt inde tremores.

Minimè tamen pro calore thermarum perennante talis causa sufficiens esse videtur. Quid enim obstabit, quin ventus & aër locorum angustia commoti per aquæ vias confestim evolent, siquidem aqua consistentiam longè tenuiorem ac subtiliorem obtineat, sublata hoc modo caliditatis perdurantis causa? annon uniformis effectus ab uni-

uniformi & minimè variabili causa deducendus est? At flatuum, ventorumque commotionem violentam esse constat omnibus. Nec sufficit, motu res incalescere, quod physicorum est pronunciatum, cum idipsum non per se, sed συμβεβηκὸς accidere videatur, dum attritione partium minimarum ignea qualitas ex aëre vehementer alterato producitur, qua ratione plumbum extremum sagittarum jactu velocissimo per aërem commotarũ liquescere, tritu duorum lapidum, seu lapidis & chalybis, imò & Leonis ossium juxta *Philosophum 3. de hist. an. capit. 7.* vel durissimorum lignorum, hederæ videlicet, lauri, vitis sylvestris & labruscæ, juxta *Plinium lib 16. Nat. hist. cap. 40.* ignem elici, curruum axes deficiente materia humectante & inurgente incendi, molas farinarias inardescere, soleas equorum scintillare, nubem constrictam fulgurare videmus.

Vide Coll. Connimb. lib. 2. de Cœlo cap. 7. q. 6. Motus vehementia res incalescunt per accidens.

Proximius ergo *Democritus* rem ipsam attingere conatus est, qui referente *Baccio libr. 1. de Thermis capit. 17.* & *Savanorola lib. 1. de Baln. cap. 1.* caliditatem thermarum à calce deducebat, ut aqua montes calcis in terræ visceribus præterfluens incalesceret, eo modo, quo calcem vivam per aquæ affusionem incalescere conspicimus. Sed ubinam calx unquam viva sub terris visa vel alicubi effossa est, inquit *Iul. Alexand. lib. 7. Salubr. cap. 4.*

Opinio Democriti, calorem thermarum à calce deducens.

Refutatur prædicta opinio.

Ponamus simile quid reperiri, putas ne calcis ejusmodi materiam tam diuturno thermarum fervori sufficere posse? annon semel extincta calcis materia nunquam reviva conspicitur? quis terræ Vulcanus lapides calcis vivæ, sine præcedenti combustione vel calcinatione penitus ad aquæ calefactionem ineptos, artificis more, quod in præparatione calcis necessarium esse lippis & tonsoribus notum, disponeret, igne substrato incenderet

& juſto modo confectos continuò viis & canalibus aquarum ſubſterneret?

Opinio communior quâ thermarum calor actuali igni tribuitur.

Relictis ergo præcedentibus, tanquam remotioribus & minimè ſufficientibus cauſis, opinio ſubſequentium perpendenda venit, quâ cauſa calefactionis thermarum actuali cuidam igni terræ cavernis incluſo tribuitur. Hoc

Veſuvius.

olim *Veſuvius* in Campaniæ finibus mons unicus per intervalla ex hiatibus ſuis ignem evomendo comprobabat, licet multis ab hinc ſeculis incendii omnis expers extiterit.

Ætna.

Famoſiſſimus adhuc hodie Siciliæ mons eſt *Ætna*, perpetuis quaſi flammis corruſcans, qui undiquaque (ut inquit *Baccius lib. 4. de Thermis cap. 4.*) ac longiſſimè ab Italia conſpicuus, radices agit ad mediam Siciliam, pinguibus circum ſecus arvis, vinetis ac paſcuis fæcundus, jugiterque pinetis ac fagis, altiſſimisque abietibus nemoroſus: ad ſummum vero verticem, quâ ſalebra eſt totus, ac inſtabili cinere, pumiceque confragroſus in vaſtiſſimum dehiſcit craterem, ob ſimilitudinem iſta voragine ab autoribus ſic appellata, quæ ad ſupremam oram quatuor millia paſſuum exæquans ſubinde arduo introrſum clivo quaſi in tartara uſque ſeſe coanguſtat, viſu præcipitium horribile, quod etiam audaciſſimum quemque non parum commovere queat. Ardet inſuper mons *Hecla* in Islandia, mons *Cophantus* in Scythia, nec non una Cycladum Inſularum in *Ægeo* & alia loca plura.

Ignis actualis in terra cavernis cõfirmatio.

Ignem hunc actualem alibi cuniculos agere, terræque cavernis ſeſe inſinuare poſt *Ariſtotelem Seneca* quoque ſtatuere videtur, dum inquit: ignes multis in locis terra opertos tegit & aquas calefaciendo inalterat, ſi ſubditi ſint ſolo, per quam illarum incurſus eſt. Quod etiam *libellus de mundo ad Alexandrum perſcriptus* innuit, terram ſcilicet non tantum aquarum modo fontes habere in ſe, verum etiam ſpiritu & igne fæcundam eſſe, qui ex aditis ter-

terrarum prætereuntes aquas aut ferventes ex vicinia reddant, aut certè ex longinquitate tepediores. Hoc ipsum Lucretius innuit, dum inquit:

Principio tellus habet in se corpora prima
Vnde mare immensum, volventes flumina fontes
Assiduè renovent: habet ignes, unde oriantur.
Nam multis subcensa locis ardent sola terræ,
Ex imis vero furit ignibus impetus Ætne.

Planius adhuc in Astronomicis Manilius idipsum declarat, dum hoc modo rem illam determinare satagit:

Sunt autem cunctis permisti partibus ignes
Qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubes
Et penetrant terras, & Ætnâg; minantur Olympo,
Et calidas reddunt ipsis in fontibus aquas.

Perspicuum actualis ignis ac incurrentium simul aquarum exemplum inter *Puteolos* & *Neapolim* in *Campo Vulcani*, qui *Sulphuraria* dicitur, haberi *Baccius lib. 1. de ther. cap. 18.* autumat: quippe salebrosâ undique collium coronide & in se totus, intus & extra assiduo fervore crepitans lacunas vivarum aquarum continet, quæ instar bullientis Caldarii perpetuo fervent.

Quanam sit ignis actualis materia, ex sententia aliorum.

Ignis hujus actualis materia non uno modo declaratur ab omnibus, dum alii bitumini, quidam sulphuri, qui dam cineribus & pruinis in terræ cavernis latitantibus & calorem thermarum foventibus eundem adscribunt. Qui bus potius *bitumen*, quam alia materia combustibulis arridet, potissimum hoc fundamento suam assertionem confirmare nituntur, quod facilimè præ reliquis flammam concipiat, utpote cum ignium vis adeo magna bitumini conveniat, ut corpus aliquod eo maximè, quod naphtha vocatur, perunctum, si ad ignem admoveris, exuratur nec aquâ nisi multâ restinguatur, teste *Georg. Agricola lib. 2. de fossilib.*

Opinio eorum qui bitumen statuunt materiam ignis actualis in terræ visceribus.

silib. In *Ecbatanis* ab hiatu seu caverna Ignis Naphtham bituminis speciem in stagnum quasi collectam profluxisse testis est *Plutarchus*, quæ adeo proclivis ad ignem fuerit, ut antequam attigerit flammam per ipsum splendorem circa facem incensum sæpè aërem qui interfuit, unà inflammaverit & combusserit. Eodem bitumine propter promptam accensionem Medea pellicem cremavit, postquam sacrificatura, juxta *Plinium*, ad aras accesserat, coronâ ejus igne raptâ: quod etiam *Alexander*, vel potius *Athenophanes* Alexandri balneator, juxta *Libavium lib. 2. par. 3. sing. cap. 5.* expertus est, ubi Naphtham in balneis puero Stephano affudit, ut totus arderet lucernę præsentiâ flammam excipientę bitumine, ac propè interiret. Eodem Persas illinire tela, ipsisque vel vehementiori aëris commotione, vel alia ratione incensis hostium tecta cremare testatur *Ammianus*. Solum bitumen ignem ut ajunt, & aquam simul sustinere potest, unde fontes in *Apolloniatarum Nymphæo & lacu Babylonio* ardere colligunt, qua ratione *Georgius Agricola* flammæ ardentium aquarũ tàm in exteris regionibus quam in media Germania existentium mentionem facit, in quarum fundo bitumen ardere statuit, ut hanc ob causam falsus lacus inter Schrapelam & Seburgum piscatorum retia altius inmissa comburere manifestis verbis asserat. Hanc assertionem *Baccius* novam Germaniæ scriptorum opinionem nominat, eamque facilimè reprobari posse statuit. Non enim fontes calidos omnes bituminosos esse sensus & experientia testatur, cum pauciores omnino sint thermæ, quibus bituminis præeminentia inesse videtur. Adde quod naturæ bituminis plane sit adversum sub aquis ardere, cum accensum potius superficiem elambat, propterea quod flamma non respirans extinguatur. Nec parvi momenti est sequens ratio, nimirum, quod calor thermarum uniformis & perpe-

Refutatur prædicta opinio.

tuus

tuus sit: at incendia bituminis seu calores seu flammas dixeris, ubicunque sunt non sunt perpetua, & per consequens ad continuandum thermarum calorem insufficientia.

Cæterum progrediamur ad assertionem illorum, qui *Sulphur* istius ignis actualis causam statuunt, in quorum numero celebriores quiq; reperiuntur, commoti fortassis autoritate *Philosophi*, quod non tantum ex *lib. de proprietatibus Elementorum Aristoteli asscripto*, sed etiam ex *problematibus sect. 24 probl 18. & lib. 2. Meteor.* facilimè colligitur. Dum enim Philosophus quærit, qui fiat, quod thermæ maximâ ex parte salsæ proveniant, respondetur, idipsum fieri propter sulphuris accensi adustionem, cujus ratione cinis exustorum sallus reddatur. Hinc *Baccius lib. 1. de thermis cap. 19.* singulari naturæ dispositione subterraneis ignibus sulphuris materiam destinatam esse dicit. Hinc *Pontanus* de thermis Bajanis:

Opinio eorum, qui putant sulphur esse causam actualis ignis sub terra.

Bajano sed ne fumare in littore thermas
Mirere: aut liquidis fluitare incendia venis:
Vulcanifora Sulphureis incensa caminis
Ipsa movent, latè multum tellure sub ima
Debacchari ignem, camposq; exurere opertos.
Inde fluit calidum referens ex igne vaporem
Vnda fugax, tectis fervent & balnea flammis.

At non autoritate tantùm sed rationum quoq; momentis tam veteres quàm recentiores hanc assertionẽ confirmare conantur, propterea, quod vix inter fossilia quicquam reperiri possit, quod sulphure citius flammam concipiat, eandemque diutius foveat. Adde sensu teste sulphureũ odorem in omnibus ferè thermis observari, quam ob causam non rarò laborantes, quibus ob capitis debilitatem vel ob singularem *ἰδιο συγκρασίαν* sulphuris halitus inimicus est, thermarum usum vitare coguntur. Rationi sub-

scribit experientia, dum thermas calefactivas, exiccativas, resolutivas, aperitivas & attractivas esse respectu plurimorum affectuum præter naturam deprehendimus: at ejusmodi effectus sulphuri præ reliquis fossilibus maximè convenit. Nec dubia cuiquam videatur perennis sulphuris duratio: propagatur enim per singularum partium accessiones, ut alia fossilia; nec deficit statim, sed longo tempore suam incensionem continuat, etiamsi natura vorax & absumens sit ignea qualitas, propterea quod continuò materia combustibilis regeneretur, ut utar verbis Lucretii:

Nimirum quia sunt multarum semina rerum
Ex infinito satis omnia suppeditari
Putandum.

Non enim absurdum est, materiam semel combustam vim novam ad tempus concipere, rursus ardere, continuumque fervorem adjuvare, quod in Ætna Poeta quoque miratur, dum inquit:

Cætera materies quæcunq; est fertilis igni
Vt semel accensa est, moritur, nec restat in illa
Quod repetas: tantum cinis & sine semine terra est.
Hinc semel atq; iterum patiens, ac mille perhaustis
Ignibus, instaurat vires &c.

Confutatio prædictæ opinionis.

Hæc ferè communis & maximè famosa de calore thermarum assertio statuitur, quam suis nihilominus difficultatibus intricatam esse *Joh. de Dondis de font. Patavinis cap. 6. Iulius Alexand. lib. 7. Salubr. cap. 4.* & alii observarunt. Concedamus enim pro saporis & odoris argumento Sulphur esse ponendum, res nihilominus adhuc dubia relinquitur, cum non tantum sulphuris sed & aliorum fossilium & metallorum qualitates peculiari modo medicatis aquis impressas deprehendamus. Sed calorem respiciendum esse dicunt una cum odore, saporeque sulphuris: at unde calor

& ignea

& ignea talis effervescentia? à sulphure facilimè flammam recipiente respondebunt. At unde sulphuris incensio? quid sulphur incensum, quod alias aquis etiam ferventissimis extinguitur, in ipsis aquarum ductibus conservabit? quid respondebis de fontibus sulphureis actu frigidis, quorum non paucos in nostra Germania vulgo notos esse constat. Hæc & alia hujus generis quidam eludere conantur, dum flammam sulphuris aquis thermarum subjiciunt, sed paulo remotiorem, ut aqua tanquam in lebete per peculiares canales exterius undique Sulphuris igne calefactos effervescat. Hoc modo vis aquæ flammam extinguere non poterit, etiamsi continuo non tantum ab eadem calefiat, sed simul etiam materiæ combustibilis qualitates per fumidos vapores inferne exhalantes imbibat. Nec de prima Sulphuris accensione dubitandum esse censent, cum spiritus vel exhalatio terræ cavernis inclusa, dum in locorum angustias per antiperistasin frigoris cogitur, aut hac illac exitum quærens commovetur, ob attritum & conflictationem ejusmodi facilè accendatur, quandoquidem motus non caloris tantum causa est, sed etiam flammæ, cum in materiam idoneam incurrit. Quod ipsum *Philosophus lib. 2. Meteor. cap. 8.* innuit, ignis in terræ cavernis producti non aliam esse causam, quam aëream substantiam in minima dissectam statuens. Ita sponte nascentium aquarum rationem benè constare putabunt: ferventium scilicet ex proxima admota ignis vi; modicè calidorum ex semotiori; metallorum & succorum terrestrium qualitates referentium tam de succensa materia per exhalationes communicata, quàm percolatione varias metallicorũ proprietates imbibendo. Sed quis nam ejusmodi canales & parietes tanta industria, soliditate & artificio fabricarit, ut intentioni huic inserviant, valdè dubium est? & posito, quod singulari pro-

Instantia.

Solvitur instantia.

vidēntia hoc quicquid est, factum sit, quomodo quęso qualitates accensæ materiæ combustibilis aquæ præterfluenti communicabuntur? ad calefactionem valebit hæc ratio non dissimiliter ac si in lebete concalescat aqua, ignis sulphure i suppositione, quæ nec saporem nec odorem sulphureum representabit. Verum nec ignem sulphureum extra tales ductus & parietes canalium diutius accensum esse posse, tam naturales ejus proprietates, quam alia confirmare videntur. Quis enim nescit, nihil magis igni actuali repugnare, quam undique carceribus & parietibus inclusum esse? quis nostrum quotidianorum casuum tam expers est, cui non luce meridiana clarius sit, ignem licet in materia convenientissima sit accensus, non melius ac citius, quam subitanea occlusione coërceri, restinguique posse. Testantur hoc medicæ cucurbitulæ, quas balneatores in scarificationibus cum flammis applicant. Testantur idipsum fossores, qui fodinas tractant metallicas, quos experientia docuit, ob aëris admissionem artificiosa spiracula cavernis inferere, quò facilius in imo accensæ faces conservationem suam habere possint.

Quid sit respondendū ad ignes Ætnæ, Vesuvii &c.

Nec obstant hic ignes Ætnæ, Vesuvii, Chimeræ, Heclæ, quæ non latent, sed patent, quosque non tam in ipsis cavernis, quam in earundem exitu conspicimus, ubi non tantum combustibilis materia ad accensionem apta, sed simul ipsa accensio flammæ propter aërem liberiorem fieri, reseratisque spiraculis ignis cœlo frui, sequein omnem partem, quod naturaliter ipsi competit, commovere potest. Nihil addo, quod per tot secula terram perquiramus, tot in eandem cuniculos agamus, ejusque viscera meatibus & anfractibus diversis natura, casu vel etiam artificio confectis prædita conspiciamus, ut *Plinius* vitam futuram impiè negans ex hoc fundamento concludat, nos

nos jam dudum inferos ipsos invenire potuisse, si ulli omnino essent: Gemmas, lapides, metalla, metallicos succos effodimus, latentes eorundem venas eruimus, aquis, aëri, terræ, scopulis occurrimus: at ignis flammas quis unquam observavit? consequens ergò videtur, nullibi tam diuturnum ignem undique terrarum cavernis includi posse, quin evictis tandem repagulis exiliat, vel subitò quasi suffocatus pereat. Supereſt tandem, quod primus *Subtilitatum Autor Cardanus* cum aliis innuere videtur, ad prunas scilicet & consequenter ad cinerem refugiendum esse, cum calor diutius in angusto loco coërceri possit in prunis ac cineribus, quam ipsa flamma longè majorem eventilationem requirens. At æquè dubium hoc est, ut præcedentia: quis enim unquam prunas viventes aut cineribus etiam opertas in terræ visceribus hominum memoria repertas esse retulit? ne dicam absurdum videri negata causa proximum effectum concedere, cùm prunis atque cineribus datis actualem ignem præcessisse necessum sit, quod fundamentis non contemnendis antea reprobavimus.

Opinio eorum, qui prunas actualis caloris causam statuunt.

Refutatio ejusdem.

Tantum est, auditores, dubitationum pelagus in hac unica controversia, quam ob causam rursus magnalia DEI miramur & operum divinorum effecta mirabilia rimamur potius, quam quod consequamur.

Quid enim aliud de vera thermarum causa respondebimus, quam illud, quod ab ignorationis humanæ confessione non est alienũ, nescire videlicet nos ullam, ut inquit *Iulius Alexandrinus*, quemadmodũ prædictarum causarum nullam sufficientem esse demonstravimus. *Vel Nasonem Poetam* imitabimur, qui difficultates illas limis, quod dicitur oculis, observans de mutatione thermarum differens

Opinio propria.

omnes opiniones in medio relinquit & assertioni suæ accommodat, dum inquit:

Nec quæ Sulphureis ardet fornacibus Ætna
Ignea semper erit: neque enim fuit ignea semper:
Nam sive est animal tellus & vivit: habet q̃
Spiramenta locis flammam exhalantia multis,
Spirandi mutare vias: quotiesq̃ movetur
Has finire potest, illas aperire cavernas:
Sive leves imis venti cohibentur in antris,
Saxaque cum saxis & habentem semina flammæ
Materiam jactant: ea concipit ictibus ignem:
Antra relinquentur sedatis frigida ventis.
Sive bituminea rapiunt incendia vires,
Luteáve exiguis ardescunt Sulphura fumis:
Nempe ubi terra cibos, alimentaq̃ pinguia flammæ
Non dabit, absumptis per longum viribus ævum,
Naturæq̃ suum nutrimen deerit edaci,
Non feret illa famem, desertaq̃ deseret ignes.

Verum enim vero, cum *teste Philosopho 2. Metaph. cap. 1.* non tantum iis gratias agere conveniat, in quorum opinionibus quis acquiescit, sed & illis, qui superficietenus & probabiliter differunt, propterea quod etiam isti aliquid conferant, quatenus habitum nostrum exercent; idcirco benevolentia vestra fretus, Auditores, in medium proferam illam opinionem, quam præcedentibus probabiliorem esse suspicor. Hanc inter paucos alios innuere videntur *Ioh. Dondius & Iulius Alexandrinus*, qui tot seculis celebratas & receptas adversariorum opiniones studio veritatis examinare, nec non rationum momentis impugnare conati sunt.

Proprium esse terræ calorem.

Hîc ante omnia notandum loca subterranea non tantum frigida, quod alias elemento terreo per se considerato pro-

proprium est; sed etiam calida reperiri, quod eousque ob servatum fuit ab iis, qui refossos ad viscera terræ cuniculos ingrediuntur, ut venas metallorum discurrentes tangentibus calidas, omni actuali igne destitutas invenerint. Hunc calorem nec à sole remotissimo, nec igne vel flamma productum, sed nativum terræ calorem agnoscimus, quam ob causam ignea flamma negata calorem actualem nihilominus concedimus, per quem nihil aliud intelligimus, quam spiritum quendam calidum, seu calidas exhalationes terræ singulari providentia concessas: quis enim terram nisi per abstractionem, quatenus ut purum elementum consideratur, merè frigidam sibi potest imaginari, cum ex mandato divino *Gen. 1.* Herbam virentem, semen facientem & lignum fructiferum, cujus semen in semetipso sit, juxta genus suum, germinare debeat? his calidis spiritibus & exhalationibus non violento motu sed naturâ calefacientibus, in quibusdam locis terræ meatus calefiunt, ut parietibus concavitatum ejusmodi fervor communicetur, cujus ratione calor sufficiens & perpetuus ipsis thermis communicari possit, quemadmodum ex clibano calefacto flamma omni remota panem nihilominus sufficienter assari, concoqui & maturari videmus. Harum exhalationum subtilium & levium naturam ad ignis proprietates plurimum accedere non negamus, quam ob causam non incommodè pluribus ignis vocabulo veniunt. Hoc modo juxta philosophum πέψις γίνεται ὑπὸ τοῦ ἐν τῷ ὑγρῷ πυρός, concoctio fit ab igne, qui est in humido: hîc igni tribuitur opus concoctionis naturalis, ubi tamen ardens flamma vel pruna minimè statui potest. Nihil addo de solidarum, densarumque rerum transmutationibus & alterationibus, quomodo scilicet canes ossa, nucleos uvarum aves, chalybem Struthiocamelus, stella piscis omnia durissima mox ingesta digerat

gerat & concoquat, non ignis ardentis, accensi vel inflammati beneficio, sed vi calidorum spirituum cuique speciei naturaliter insitorum. Quid dicam de microcosmi seu humani corporis alterationibus, in quibus opera caloris insiti contentorum diversas murationes & concoctiones fieri ipse sensus manifestè testatur: quis enim nostrum est, qui tangendo caloris qualitatem in corporibus etiam temperatis non observaverit? at blandus, inquis, suavis ac placidus est ejusmodi calor: non nego talem in externa corporis superficie deprehendi, sed si viscerum penetralia nobis tangere fas esset, an non caloris & æstus vim insignem nos percepturos esse statuis? an non fervet sinister cordis ventriculus in brutorum animantium dissectione viva, quamvis eò usque sine pectoris dissolutione, caloriscque magna resolutione pervenire non queamus? an non expansus calor corporis extima petens & in plurimos rivulos diductus, ut alia dispersa, plurimum deperditus & ob reactionem partium frigidiorum non parum retusus nihilominus in circumferentia satis vegetus & sensibilis tactui offertur? annon purgamenta corporis tam primæ quam secundæ vel tertiæ concoctionis, non tantum tactu satis impensè calida, sed etiam fumantia quotidiè conspiciuntur? annon æstuantium febrium calor ita manus nostras ferit & afficit, ut imperitus rerum naturalium igne culinari viscera penitus consumi juraret? hinc febris, Græcis πυρετὸς, non rarò Hipp. πῦρ quod ignem denotat, per similitudinem nominatur. Humores in corpore nostro frequenter exuri, assari, nec non in cinerem vel cineri simile quid converti videmus, non quidem flamma quadam accensa, sed calore nativo præternaturam intenso. Vivificum conservationis nostræ nectar, humidum videlicet radicale cujusque partis in febribus colliquantibus resolvi more pinguedinis ab

ignea flamma resoluta per quotidianas Medicorum observationes demonstrari potest: at quis hecticum & resolventem ejusmodi calorem incensum actualem ignem esse putabit? Hæc omnia non difficulter à microcosmo ad macrocosmum accommodantur, ubi in intimis terræ visceribus calores actuales non tamen accensos & igneos concedimus, per quos aqua thermarum prædicto modo non tantum calefit, sed sæpius etiam fervens atque ebulliens redditur, dum vaporum & spirituum calidorum virtute commovetur, inprimis circa meatus illos, ubi suum exitum compressu quodammodo & coacta nanciscitur. Hunc terræ calorem ex eo quoque colligere licet, quod loca subterranea plurimùm hyeme videamus incalescere, velut refugiente intus calore, quæ tempore æstatis eodem foràs evocato refrigerantur, quo modo fontes hyeme calidos æstate gelidos ob idipsum experimur. Non tamen negamus alicubi respectu superficiei terræ non admodum profundæ frigiditatem ejus interceptis ea parte poris cellis ac testudinibus factis, contrarium, puta calorem solis & aëris, fugientem magis per æstatem uniri & per antiperistasin vigetari: prout eâdem in parte per hyemale tempus caliditas terræ porositatibus intercepta fuga exterioris frigoris propter eandem causam intenditur. Sed quid obstat, inquis, quò minus actuales ignes incensi terræ cavernis concedantur, cum sensu teste, quod antea dictum fuit, in locis quamplurimis ignes, terræ cavernis egrediantur, præsertim cum spiritus ejusmodi calefaciens ad igneam naturã plurimùm accedere videatur? multa profectò, partim antea dicta, partim adhuc dicenda: quod enim ignes apparentes & alicubi erumpentes attinet, eosdẽ aperta terra per vim collisionis aerea & spirituosa illa evaporatione accensa fieri, satis antea demonstravimus: prout enim suo modo vapor ad inflam-

mationẽ aptus in nubibus ruptis vi commotionis violentæ accenſus fulgura & tonitrua producit, eorumque flammis in materiam combuſtibilem incidentibus integras civitates, ſylvas & agros incendit; ita ſpiritus ejuſmodi calidus per loca ſulphurea vel bituminoſa perrumpens, aërem nactus non tantùm accenditur, ſed etiam perdurante materia diutiſſimè conſervatur. At hoc poſito, non ſequitur propterea terris incluſum ejuſmodi ſpiritum ardere & flammis incenſum permanere poſſe, cùm accenſæ conſumẽtiq; tali flammæ penitus repugnet incluſum eſſe.

Nec aliquis miretur calefacientem ejuſmodi ſpirituoſam materiam in terræ cavernis ſine accenſione calefacere, nec non extra eaſdem facilime accendi & combuſtibilia comburere poſſe: ſimile quid doctrina meteorologica ſubminiſtrat, quando generationem ignis lambentis perpendimus; accidit enim ut ignis hominum vel brutorum & inprimis equorum capita lambere videatur, rariſ videlicet pinguibus atque calidis evaporationibus confertim erumpentibus & ob aeris frigidi contrariam qualitatem ſubitò incenſis. Quod cum rarius hominibus accidat portenſi loco habitum fuit à veteribus, quemadmodum de *Servio Tullio* refert *Livius*: & *Virgilius* ex hoc ipſo 2. *Æn.* *Aſcanium* Regem futurum colligit dum inquit:

Talia vociferans gemitu tectum omne replebat:
Cum ſubitum, dictuq; oritur mirabile monſtrum:
Namque manus inter, mœſtorumq; ora parentum
Ecce levis ſummo de vertice viſus IULI
Fundere lumen apex: tactuq; innoxia molli
Lambere flamma comas & circum tempora paſci.
Nos paviditrepidare metu: crinemq; flagrantem
Excutere & ſanctos reſtinguere fontibus ignes.

Simile

Simile quid ab eodem poëta ponitur *lib. 7. Æn.* de Lavinia virgine, dum inquit:

Prætereà castis adolet dum altaria tedis,
Et juxta genitorem astat Larinia virgo,
Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalesq; accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis, tam fumida lumina fulvo
Involvi, ac totum Vulcanum spargere tectis.
Id verò horrendum ac visu miserabile ferri:
Namq; fore illustrem fama, fatisq; canebant
Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.

Verum adhuc planius idipsum patet in humano corpore, dum non tantum ea, quæ diximus de calore calefaciente & concoquente diligenter consideramus, sed simul etiam calefacientes ejusmodi spiritus ad inflammationem & accensionem igneam datis necessariis requisitis non inhabiles esse videmus, quod vel maximè demonstrant τὰ κάτω διαχωρήματα πνευματώδη quæ flatulenta sulphurea recrementa candelis admotis incendi posse pueris lascivientibus notum est. At verò licet hæc sensu teste flammam extra corpus facilimè suscipiant, absit tamen ut statuamus eodem modo materiam ejusmodi interius etiam ardere vel actuali igne inflammari posse.

Hactenus Auditores, quæ nam opinio de thermarum causis calefacientibus præ reliquis nobis probabilior audivistis; nihil supereſſe videtur, quàm ut ulteriori expectationi vestræ satisfiat, cum non dubitem, nullū adesse, qui non tacitè secum cogitet, nihil commodius præcedentibus coronidis instar addi posse, quàm quæstio subsequens, *qui* scilicet *fiat, quòd thermæ præter calorem varias metallorum ac fossilium qualitates possideant, earumq; ratione diversis affectibus salutariter conveniant.*

Hanc quæstionem ut jucundissimam ita nobilissimam præsens noster Candidatus pro singulari doctrina atq; eruditione sua, quam indefesso studio sibi comparavit, toti huic amplissimo Consessui breviter atque nervosè declarabit. Vos, quotquot adestis omnium ordinum auditores exoptatissimi, favete linguis, & ex ungue, quod dicitur, Leonem agnoscite.

Iohannis Hempelii Siles. Med. Doctorandi

RESPONSIO, AD QUÆSTIONEM A CLARISSIMO DOMINO PROMOTORE PROPOSITAM, Quâ quæritur de modo, quo virtutes mineralium & metallicorum aquis subterraneis communicantur.

LUbens omninò, & citra ulteriorem moram jussui tuo parebo, *Vir undiquaque Clarissime & experientissime, Domine Præceptor & Promotor æternum mihi honorande*, modò Amplissimi hujus Auditorii, quod reverenter & ex animo precor, benevolentiam & favorem impetrare valeam; de quo meo voto cum optimâ sperem: brevissime idcirco, ne prolixitate tædium pariam, mentem meam circa quæstionem propositam sequenti modo proferam.

Inter opera admiranda alia quàm plurima, quibus Deus ter Opt. Max. Naturæ majestatem abundè locupletavit, omnem penè admirationem superant tot ac tam diver-

diversa aquarum mineralium genera, thermæ & fontes medicati pænè innumeri, tot acidulæ, tantâ varietate passim luxuriantes, & non tantùm ortus sui intra terræ viscera absconditâ ratione; sed & prorsus miraculoso scaturiendi ac prosiliendi modo cum portentosis quandoque, sensus nostros quasi fascinantibus & confundentibus eruptionum formis animos intuentium mirè percellẽtes: &, quod rei caput est, summæque summi DEI bonitatis ac paternæ providentiæ luculentissimum argumentum, non sine gratæ mentis indiciis commemorandum, præstantissimas ac nobilissimas etiam ad desperatissimos morbos proficuas medicinas nobis exhibentes, quas DEI filia Natura, rerum omnium benignissimâ mater sponte sua, sine omni artificum prægressa præparatione liberaliter in sinum nostrum effundit. Evidens est hoc præpotentis DEI erga salutem nostram, mille alioquin calamitatibus expositam, paterni affectus τεκμήριον: qui præterquam quod multa millia crudarum medicinarum languoribus nostris levandis largiter concessit, quas humano artificio præparatas variis ægritudinibus applicamus: idem quoque benignissimus pater è proprio ipsius naturæ ergasterio propria hujus & vix imitabili industria parata, & ad summum elaborata remedia sub variis formis nobis elargitur, quibus saluti & valetudini nostræ in multis affectibus, etiam quandoque desperatissimis, felicissimè consulimus. Quę certè medicinæ, quod ex ipsius naturæ, tanquam perfectissimæ magistræ, laboratorio nobis suppetant, multis ob id nominibus aliis medelis è simili materia, humano tamen artificio erutis, sint anteferendæ. Ipsa quippe rerum Natura interior, quam optimâ subjecti sui cognitionem habere videtur, utpote quam divino instinctu, quo inde à primis illis rerum initiis mirificè gubernatur, cælitus est assequuta, qualem certè Ars, tanquam

exterius res ipsas adoriens minimè sit habitura. Et sanè si vel maximè summam etiam artificum naturam æmulari pro virili studentium, industriam & sagacitatem consideremus, qui eleganti artificio interiores metallorum & mineralium naturas rimari, nobiliores eorundem essentias, in quibus vis omnis medicamentosa potissimum continetur, à massa reliqua ignobiliore, crassiore videlicet & terrestri, artificiosè separare conantur: nulli tamen non constabit liquidò, Artem in hoc ipso Natura esse longè inferiorem: quippe cùm in quàm plurimis aquis medicatis, maximè in acidulis plerisque adeò elaboratas mineralium essentias ac spiritus, multiplici intra terræ gremium circulatione facta, ad eum nobilitatis gradum exaltatos Natura nobis offerat, quales à sola arte vix expectari possint, quanquam non pauca Naturæ opera felicissimè imitetur. Non quidem Natura in omnibus ad eundem finem semper pertingit, neque omnes omnium mineralium substantias ad eundem perfectionis gradum exaltat, quod partim loci natalis conditio, partim propria metallorum ac mineralium natura, cum aliis multis non rarò optimos naturæ conatus impediant & remorentur. Est enim ingens mineralium in terræ gremio latentium varietas, uti & loci eorundem natalis diversitas: quare & Natura ob hanc ipsam non quidvis ex quovis producere, sed tantũ ex dispositis quibusvè, nullo impedimento obstãte, optimas ac nobilissimas essẽtias evocare potest. Quid itaq; mirum, si non in quibusve locis, iisdem mineralibus prædita eædẽ aquæ medicatæ prosiliant? quid mirũ, si non omnes aquę iisdem mineralibus tinctæ ejusdem sunt bonitatis & præstantiæ? quid deniq; mirum, tot ac tàm varias apparere fontium medicatorum diversitates, quas vix mente comprehendere, nedum verbis satis explicare etiam experien-

experiẽtissimus quis valeat? Effecta verò & operationes varias aquarum mineralium quis quæso enumeret, vel explicet sufficienter? Eas hoc loco tantum innuo, quas in constitutione corporis humani, miris modis variãda potissimùm animadvertas, ubi non rarò ab iisdem aquis medicatis cõtrarii prorsus effectus producuntur. Sic quandoque videmus usu aquarum mineralium fervores & æstus immensos corpus humanum ad marcorem & tabem usque arefacientes feliciter contemperari: contra verò aliorum ægrorum corpora frigor, pæne emortua earundem usu præter omniũ spem instaurari, & calore nativo restituto quasi revirescere: ita ægros quosdam macilentos & fere aridos aquarum virtute mirè saginari, alios contra obesos & adipe ac mole corporis luxurientes usu earundem thermarum rursum extenuari, & ad convenientem habitus corporis mediocritatem redigi cernimus: alios item ingenti humorum copia inflatos quasi & turgentes humorum illuvie exhausta ad naturalem statum redire, alios contra quasi exuccos reddi tos humectari, & mole corporis augeri deprehendimus. Et quis, quæso, in tot morborum curationibus non observavit, nihil verius esse, quàm ab iisdem aquis contrarios sæpe curari morbos? sic porrò aquę copiosè alvum laxantes, urecrum insigniter expurgantes, sudores & urinam largiter cientes, eædem contraria prorsus ratione in aliis ægris superfluas ejusmodi excretiones sistunt.

Et quotusquisque morbus est, (nolo singulorum aut saltem plurium enumeratione tempus cõsumere) in cujus curatione à diversis aquarũ mineralium generibus nõ mira exspectemus? Taceo jam prodigiosos prorsus, & omnem fere fidem superanes effectus, quos non tantùm in miraculosa quorundã affectuum curatione, occulta ratione peracta, sed & in aliis quàm plurimis observatos annotarũt Authores

thores hac de re videndi. Unde verò àquis medicatis hæc natura, unde vis ea & poteſtas, unde facultates tam diverſæ tàm potentes tàm validæ? ſi quis ad occultum corporum cœleſtium influxum, ſolis imprimis vel Lunæ aut reliquarum planetarum operationem recurrens, huic ſoli omnem cauſam talium effectuum aſſcribendam putet, næ is longius à reipſa ſecedere, ac circa veram proximam cauſam ſomniis agitari videtur, indignus propterea cujus vanitati examinandæ præſens tempus inſumatur. Ad primordia potius & ſcaturigines aquarum medicatarum unicè reſpiciamus, & omnes ex intimis terræ penetralibus derivari liquidò vel ipſo ſenſu teſte deprehendemus: ea igitur adeamus, & ſinus illos terræ paulum recludamus: Deus bone, quanta ibidem rerum variarum eſt copia, quot metallorum ſpecies & varietates, quot mineralium differentiæ? Hæ ſunt illæ ipſæ ſubſtantiæ, Auditores, quæ partim eſſentiis ſuis elaboratiſſimis aquas ſubterraneas tingunt, partim ſui admixtione varias iiſdem virtutes & qualitates imprimunt: quæ multiplices ſunt & ferè innumeræ, quod principia quoque, unde illæ defluunt, itidem varia & pænè infinita exiſtant. Non certè rationibus & argumentis pluribus in re tàm evidenti & manifeſta veritas confirmanda, ipſe ſenſus teſtis hujus rei luculentiſſimus, cum experientia ipſa rerum omnium magiſtra, inſtar mille argumentorum ſatisfacere poterit: ipſe color, odor, ſapor aquarum ſatis arguunt præſentem aliquam mineralem ſubſtantiam: quæ inſuper, præterquã quod ſpontanea ſua ſubſidentia, aut ad canales facta adhæſione evidenter ſeſe prodat, etiam chymico artificio inveſtigari & demonſtrari eleganter poteſt. Operoſum foret & prolixi ſermonis, ſi ſingulas metallorum ac mineralium ſpecies & differentias ex Authorum ſententiis variis proponere conarer. Ipſa quippe Natura, quod

inter-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn263430286/36 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

interdum mixtione diversorũ mineralium monstrosa nobis illudat, ut novas species esse quandoque falsò credamus confusa ob id quodammodo reddidit authorũ ingenia, in describendis mineralium tùm naturis, tum differẽtiis & viribus. Sufficiat igitur impræsentiarum pleraq; mineralium verbis Libavii enumerasse parte tertia *comment. Alchym. lib. 6. cap. 4.* sic scribentis: Frequentiùs in metallicis occurrunt æs, ferrum, plumbum, hydrargyrum: rariùs argentum, aurum, stannũ. In mineralibus mediis, sal, atramentũ, sulphur, alumen, bitumen, succinum, auripigmentum, cum Sandaracha & arsenico: insuper stibium, plumbum cinereũ, magnes, pyrites varii, marcasitæ aureę, argenteæ, pallidæ, æreę, chrysocolla &c. In terrarum generibus respicere oportet bolos varios: ochram, ferruginẽ, cadmiam gleboſam, quam lapidem calaminarẽ vocant &c. In lapidibus cadmiã lapidosam, tophum gypsum, marcã, fissilem lapidem, lithanthracem, armenum, cæruleum & varios alios: in quibus excellũt gemmę & gemmarũ spurii, quos fluores dicunt è quibus sunt crystallini, magnetini, amethystini, adamantini, carbũculares &c. Adde tot marmorũ genera, & lapides calcarios. Nec omittenda sunt, quæ ex illis oriuntur, vel cum illis invenitũtur, ut recremẽta, in quibus sunt fuligines, halitus, vapores, scoriæ, cadmiæ, & realgaria, venæ metallorũ, succorũ, lapidũ steriles, calces, liquores, miniũ, cerussa, ęrugo, ferri tabes & his similia pœnè infinita: ne quid dicam de speciebus, quæ illis generibus subsunt, ut sale Ammonio, gemmeo, nitro. petræo & atramento cæruleo, viridi, albo, citrino, rubeo, id est, sory, misy, melanteria, vitriolo, lapide oculari & alumine liquido, cõcreto, scissili, gleboso & succino albo, falerno, citrino, ambaro, gagate: bitumine nigro, flavo, asphalto, liquido, concreto & pyrite fæcundo, sterili, æreo, aureo, argenteo, aluminoso, chalcantho &c. sulphure rubeo, nigro, citrino &c. Hæc Libavius,

Quod si singulorum hactenus enumeratorum mineralium

lium variis formis in terræ ſinubus conſpicuorum naturas differentias & vires explicare, atque eorundem facultatibus ſingularum aquarum vires deducere vellem, toti Auditorio tœdium haut dubiè parerem, quod ea res tantæ ſit prolixitatis, quæ vel diem integrum vel plures etiam ſingulorum enarrationi requirat. Ut verò obiter duntaxat pateat, virtutes aquarum medicatarum à mineralibus unicè dependere, conſiderari poſſunt veluti exempli gratia aquæ ſalſæ, ferratę, aëreæ, aluminoſæ, ſulphureæ, bituminoſæ: quarum minera ſit ſal, ferrum, æs, alumen, nitrum, ſulphur, bitumen: quæ aquæ propterea mineræ ſuæ vires abundè exerunt, adeoque facultatis ſuæ originem demonſtrant.

Conſiderentur imprimis illæ aquæ, quæ non unius duntaxat ſed plurium mineralium tincturas obtinent, ac ob id varios, interdum planè diverſos & contrarios quoq; effectus edunt, non tamen à facultate ſuarum mineralium alienos, quales (ne peregrina Auditoribus adferam) ſunt exempli gratia acidulæ Schwalbacenſes, quarum minera conſtare creditur ex ferro, vitriolo, ſulphure, ſale cryſtallino & aliis, quorũ mixtione nõ tantum jucundus ſubacidus ſapor oritur, ſed ſalutiferæ quoq; proprietates ad plurimos diverſos, imò ſæpè cõtrarios affectus prętер naturam ſubſequuntur. Hinc experientia teſtatur, quod acidulæ Schwalbacenſes ſuperfluitates abſumant & exiccent, obſtructiones reſolvant & aperiant, viſcera vi quadam amica conſtringendi corroborent, viſcidas materias præparent atque detergeant, alvum laxent, interdum etiam pro ratione ſubjectorum adſtringant, quemadmodum hæc & ſimilia pluribus in theſauro aquarum Tabernæmontani demonſtrantur.

Thermæ item Emſenſes & Wisbadenſes hiſce locis notiſſi-

notissimæ: illæ ex sulphure, alumine chalcantho & nitro, hæ sulphure alumine & pauco nitro, ac secundum aliquos salis gemmei parte constare dicuntur, ubi tamen potius experientiæ doctissimorum Medicorum in his locis subscribimus, qui Embsenses & Wisbadenses thermas magna salis nativi copia secundum substantiam admista, spiritibus itidem ac fuliginibus sulphureis cum aliqua nitri & aluminis parte constare pronunciant, easque præsertim Wisbadenses maximè cum Apponensibus in Italia convenire statuunt. Differunt inter se, quod Wisbadenses Embsensibus calidiores ac salsiores, utpote, quæ post evaporationem magnam salis copiam acredine sua salem communem superantis relinquunt, quorumque spiritus sulphureus tam vehemens est, ut ferventes oriantur; at Embsenses temperatæ magis, minusque calidæ saturiunt.

Hæ Thermæ pro viribus & natura suorum mineralium ad varios morbos conferre dicuntur, imprimis ad omnes sensuum defectus, asthma, membrorum refrigerationem & debilitatem, hydropem, urinæ retentionem, dolores articulorum frigidos & humidos, paralysin, contractionem, lepram incipientem, phthisin, singultum, podagram, calculum renum & vesicæ, matricis mala frigida, fluxus ventris, impotentiam naturalem: præterea ad omnia cutis vitia, scabiem, impetiginem, serpiginem, vitileginem, maculas cutis, exulcerationem &c. mirificè laudantur. Horum omnium effectuum, etsi diversorum, rationem sedulus naturæ scrutator ex ipsorum mineralium natura & facultatibus diversis facilè deducet, ac ad oculum quasi demonstrabit: idque non in uno duntaxat vel altero aquarum mineralium genere, sed in omnibus, tùm antea enumeratis tùm aliis quoque, modò rem omnem debito judicio & artificio administratit. Satis, ut opinor, ex iis quæ hactenus dicta

ſunt, cõſtabit, diverſas aquarũ medicatarũ vires & facultates, quæ variarũ earundẽ, præſertim in curatione morborũ, operationũ cauſæ ſunt, non aliunde deduci poſſe, quàm à variis illis metallorũ ac mineraliũ generibus ac naturis diverſis, à quibus omnis facultas, ſive medicamẽtoſa, ſive alia dependet. Quis verò modus ſit, quo propriæ mineraliũ virtutes ipſis aquis ſubterraneis in terræ gremio imprimuntur (ꝙ quæſtio ꝓpoſita potiſſimùm innuit,) ſubſequẽtibus jam reſtat breviter explicãdũ: *Iacobus Theodorus Tabernæmõtanus, Medicus & Botanicus celeberrimus, in elegãti libello de hac materia germanico idiomate cõſcripto,* falſam eorũ eſſe ſententiã dicit, ꝙ aquas ſubterraneas ideò virtutibus mineraliũ tingi aſſerũt, ꝙ loca metallorũ alluẽdo eorũ vires hoc modo cõcipiant: quam ideò rejiciendã cenſet, ꝙ alioquin neceſſariũ foret, omnes aquas ſubterraneas, prẽſertim montanas, mineraliũ viribus prædita eſſe, cum omnes intra tetræ ſinus loca metallorũ alluere videãtur, id ꝙ ipſa confutat experiẽtia: addit inſuper, experimẽto opinionis iſtius incertitudinẽ demonſtrari poſſe, ſi quis aurũ aquæ per aliquot dies, etiamſi bene multos, immittat, nihil tamen nobilioris virtutis aquã inde accipere, ſed eam potius indies magis magisq; corrumpi certò cõperiet: unde colligendum putat, neq; ſimili modo intra terræ cavernas à ſolidis metallis aquas minerali virtute imbui poſſe: ac ob id aliunde hujus rei rationẽ petendam eſſe cenſet: nimirũ aquas veras metallicas virtutes ſuas obtinere nõ à metallis perfecta coagulatione jam probè maturis, ſed potius à primis metallorũ mineris (quæ ſunt principia, radices, fundamẽta & quaſi matrices metallorũ) tanquã immaturis & veluti imperfectis metallis, hoc eſt, ſubſtantia molli, tenera, ac minùs fixa, nondũ ad iuſtã ſoliditatẽ perfecta coagulatione maturata, ſed quæ naturę ſit liquidioris ac fluidioris: unde partes omniũ præſtantiſſimæ, exhalationes metallicę, anima videlicet ſeu ſpiritus, eſſentię nobiliſſimę,

cum aqua ſubterranea miſcentur ac conjunguntur, unde earũ virtutibus aquæ imprægnãtur. Huic aſſertioni nõ obſtare dicit, quod nõ rarò cum ipſis aquis fragmẽta metallorum, auri nimirum, argenti, æris, ſtanni, plumbi, Antimonii &c. prodire videãtur, cum ab alio potius principio quàm ab ejuſmodi corporũ metallicorũ in individuali ſua exiſtentia perfectè coagulatorũ admixtione medicatas fieri aquas vel experimento ſolo ſuperius poſito ſatis conſtet. Hæc Tabernæmontanus. Iſta verò etſi eleganter pro quæſtionis propoſitæ illuſtratione dicta videãtur, plenã tamen ac ſolidam rei determinationẽ non afferunt. Quanquã enim ſatis conſtet, dari quàm plurimas aquas medicatas quæ ſolis ſpiritib⁹ ſeu nobilioribus ac ſubtilioribus mineraliũ eſſẽtiis tinctæ nullum craſſioris alicujus mineralis eſſentiæ argumentũ ſenſui præbent, quarũ etiam virtus ob ſpirituum ſubtilitatẽ facilè evaneſcit: de omnibus tamẽ hoc ipſum audacius affirmare velle, eſſet cõtra ipſum ſenſũ pugnare. De metallis quidem, quæ juſtã ſoliditatẽ perfecta coagulatione jam acceperunt, nemo facilè affirmaverit, vim verè medicamẽtoſam, ac eſſentiã optimã ex illis tàm facilè evocari, & aquis ſubterraneis ſolo trãsfluxu aut cõtactu corporali cõmunicari poſſe: at de metallica ſubſtantia, nondũ perfectè coagulata & verè fixa hoc ipsũ aſſerere minimè abſurdũ: poſſe nimirũ aquas ſubterraneas, præterquam quod ab exhalantibus ſpiritibus materiæ metallicæ quandoque tingantur, etiam dum talia loca & matrices metallorum alluunt & præterlabuntur propter contactum illum medicinales facultates inde imbibere & ſuſcipere. In reliquis mineralibus minori cum difficultate hoc ipſum obtineri poteſt, quorum quædam eam obtinent ſubſtantiam, ut facilius alluentibus aquis ſubſtantias ſuas cum facultatibus adjungant, quàm ut vi caloris ſubterranei coactæ ſpirituoſas ſuas partes

exhalare ſinant, quibus deinceps aqua tingi & proptèrea medicatę fieri poſſint. Conſideremus exempli gratia diverſa ſalium genera intra terræ gremium recondita: quis, quæſo, horum naturas & ſubſtantiæ modum vel obiter ſaltem contemplatus non videt, talia facilimè ab aquis etiam ferè ſorberi: difficilimè verò ſpirituoſas eorundem partes vi caloris, licet vehementiſſimi, evocari? id quod & in aliis mineralium ſpeciebus, utpote terrarum ſeu bolorum diverſis generibus & aliis quàmplurimis manifeſtè obſervari poteſt.

Falloppius tract. de therm. aq. c. 7. tres modos mixtionis in aquis medicatis proponit.

Primus modus inquit, deprehenditur in illis aquis quæ uſq; adeò ſibi commixtas habent res eas, quas cõtinent, ut res illæ ſint factæ unum & idem corpus cum aquæ ſubſtãtia, & unica forma ex ipſis reſultarit, & hujus modi res ſive metallicæ fuerint ſive aliæ non poſſunt ab aquæ ſubſtantia ſeparari, niſi longiſſimo tempore & concoctione mutatione. ve validiſſima: taliſque modus mixtionis in aquis eſt ille, qui longum integritatem & magnam aquis exhibet, eaſque diu perdurabiles reddit. Alter verò eſt, quod quædam aquæ ſunt, quæ habent quidem metalla ſuſcepta pariter in terræ concavitatibus inter fluendum, tamen metalla illa non ſunt cum aquis illis bene commixta. Ita ut ex metallis & aqua reſultet nnum corpus per unicam formam, ut diximus fieri in primo mixtionis modo, ſed ſunt potius cum aquis confuſa. Secundus mixtionis gradus cognoſcitur, ſi aquæ erumpentes mineras ſuas ſimul quaſi evomant, & nobis videnda exponant, quod non faciunt aquæ primo modo cum mineralibus mixtæ. Tertius modus eſt inter utrumque medius: nam ſunt quædam aquæ, quæ partim ſunt verè commixtæ cum rebus quas continent: partim

non

non commixtæ ſed confuſæ, qualis eſt Aponitana aqua, in qua lapis calcarius non eſt commixtus ſed confuſus: ſal autem verè cum ipſius aquæ ſubſtantia commixtus, ita ut nequeat ab ipſa ſeparari, niſi tota aqua evaporet, vel tota per coctionem abſumatur: tum enim ſal remanet in fundo ollæ, in qua aqua fuerit, cocta: lapis verò calcarius, quia non eſt commixtus ſtatim cum aqua eruperit è cuniculo excernitur, & ab aqua ſeparatur.

Hoc modo de hac re *Fallopius*. Verum neque apud hunc Authorem, (utpote in cujus ſententia hactenus recitata multa deſiderantur, plura verò uberiorem declarationem poſtulant) neque apud alios multos quos brevitati ſtudens jam omitto, invenio, cui in præſentis quæſtionis declaratione acquieſcere & ſerio aſtipulari poſſim. Liberè propterea, quæ mihi circa præſentem materiam arrideat ſententia, ſubſequentibus exponam. Duplici nimirum modo vires & facultates mineralium aquis ſubterraneis (ſive illæ per cataractas manifeſtas in terram ſeſe dimiſerint, ſeu paulatim combibitæ undique confluxerint, aut primæva origine & ſtabili naturæ lege ibi eſſe juſſæ ſint) cõmunicari ſtatuendum cenſeo: Uno mediantibus fuliginibus ſeu ſpiritibus è metallorum & mineralium matricibus continuò exſpirantibus: altero, interveniente reali aquarum & mineralium mutuo contactu. Priori quidem modo aquæ ſubterraneę medicatæ fiunt, dum Archeus ille ſeu Vulcanus ſubterraneus, natura videlicet illa mineralis & metallica, virtute atque influxu corporum cœleſtium, ſolis imprimis ac reliquorum planetarum, tum etiam interno & nativo ipſius terræ calore adjuta, in coctione, maturatione ac perfectione metallorum & mineralium intra terræ receſſus occupatur, opere continuò durante, ubi maxima ſubinde fuliginum & exhalationum copia è mineralium

lium matricibus seu mineris proditus hinc inde per terræ poros diffunditur, & subtiliores ac magis spirituales mineralium substantiæ, quæ vaporibus & aquis subterraneis adjunctæ, propriis suis virtutibus easdem tingunt. Ingẽs verò est ejusmodi exhalationum diversitas: interdum enim ex unius duntaxat generis, interdum ex diversi generis mineris prodeuntibus suliginibus aquæ tinguntur: hinc etiam unius solummodo mineralis aliquando, nõnunquam plurium vires & facultates repræsentant, quod potissimum subsequẽti tempore in effectuum, quos edunt, diversitate, ac sæpenumero eorundem contrarietate varie exerunt. Quandoq; suligines omnium subtilissimæ, essentiæ nobilissimæ ac verè spiritales naturæ tantum è mineris exhalant aquisque communicantur, sine omni crassioris alicujus suliginis admistione: unde quoque tales aquæ perpetuò tenues & pellucidæ apparent, nullamque in fundo vasorum faciunt subsidentiam: hinc vires quoque talium aquarum etsi alioquin efficacissimæ, ob summam tamen spirituum tenuitatem ac fugacitatem, facilè evanescunt, præsertim si vel soli aquæ diutius exponantur, vel in aëre non bene cooperti vasis detineantur aut gestentur: ceu in acidulis quibusdam fieri solet, e. g. Schvvalbacensibus, quæ propterea si ex ipso fonte bibantur, saluberrimæ & virtuosissimæ deprehenduntur: si verò per milliaria aliqua ferantur, minus efficaces minusque gratæ sentiuntur, quod potissima earũ præstantia & virtus consistat in subtilissimis illis substantiis seu spiritibus mineralium fugacibus valdè & evanidis, quibus exspirantibus aqua magna ex parte suas & vires & laudes amittunt. Hinc quàm optimè valetudini suæ consulũt aquarum istarum potatores, si ad ipsa scaturiginum loca profecti ex ipso fonte aquam viribus suis integris constantem hauriant potius, quàm si eandem è longinquis oris ad se de-

ſe deferri curent, quod delationis tempore virtutes potiſſimum medicamentoſæ ferè totæ evaneſcant, aut ſaltem plurimum infringantur. Maximè idipſum quoque patet in fonticulo ſubacido, qui in ipſis thermis Embſenſibus, in illa parte thermarum, quæ ad Haſſiæ Principes pertinet, ſubſtantia limpidiſſima & pellucidiſſima ſcaturit, cujus virtus loco pharmacopolii eſt omnibus iis, qui thermis illis utuntur, ubi inter balneandum aquam eiuſmodi bibunt: etenim non tantum internas inflammationes præcavet propter aqueam tenuem ſubſtantiam, ſed etiam alvi excretiones promovet, urinas ciet, internas obſtructiones præcavet & factas aperit, ut vix invenias thermas aliquas, in quarum uſu minori medicamentorum uſu opus ſit, quam in Embſenſibus. Aſt ubi per horas tres vel quatuor in aperto vaſe prædicta aqua conſervatur, jurares eandem penitus medicatam non fuiſſe, propter ſubtilitatem ſpirituum deperditorum. Interdum non elevatur tantum ſola ſpiritalis ac tenerrima ſubſtantia, ſed cum hac etiam nonnihil craſſioris fuliginis attollitur, quæ deinceps aquas efficit denſas ac minus claras, in quibus plerunq; ſubſidentia ſuccedens evidens craſſioris ſubſtantiæ argumentum præbet. Tingi verò aquas medicatas virtute mineralium juxta primum hunc modum, mediantibus nimirum ſpiritibus & fuliginibus, evidenter demonſtratur vel ſolo iſto & quaſi palmario documento, quod non paucæ dentur aquarum medicatarum ſcaturigines, quæ quidem nulla ſui ortus aut profluxus parte mineras ipſas, quæ interdum in locis longè diſſitis reperiuntur, attingunt, quod non ſemel comprobatum eſt ab iis, qui, ut certius conſtitui poſſet de aquis medicatis judicium, loca minerarum fodiendo examinarunt, ubi deprehenſum fuit, neque in ipſo ſcaturiginis loco, neque circa vias & canales, quas aquæ perfluunt, eſſe aliqua mineralia,

sed vel in vicinis montibus, aut aliis locis subterraneis circumjacentibus: quis quæso tales aquas aliunde quam ab ipsis mineralium exhalationibus terræ poros undiq; perreptantibus tingi & medicatas fieri affirmet? summam rei ipsius evidentiam augebit sensus ipsius testimonium, si loca adeamus ea, ubi plures sunt talium aquarum scaturigines, maximè subterranea, ubi quivis facilè vaporum & exhalationũ præsentiam ac qualitates deprehẽdet: Qui aciculas Schwalbacẽses inviserunt, non sine admiratione loca quædam subterranea seu cellas viderunt, quorũ quædam omni, quędã certo tantum & stato tempore tanta vaporũ è mineris aliunde prodeuntiũ copia & affluxu scatent, ut vix aliquis eas subintrare, aut diutius ibidẽ sine præsenti suffocationis periculo hærere valeat: quin & minima etiã insecta vaporũ efficaciã primo statim ingressu experiũtur, dùm illicò examenantur, sicuti in genere viventia omnia, si fortè incautè vel ingrediãtur, vel vi fuerint in talia loca projecta. Fuliginũ istarum virtuti adscribendum est, quod circa talia loca nullum & venenatorum aut aliorum nocivorum animal vivat, sed omnia procul hinc felicissimè abigantur.

Priori isto modo, quo metallorũ ac mineralium facultates aquis mineralibus imprimi demonstravimus, posito, nõ tamẽ alter ille excluditur, etsi paulò crassior, quo nimirũ aquę subterraneę loca mineraliũ alluẽdo ob contactũ ejusmodi corporalẽ non tantũ virtutes, sed ipsas quoq; mineraliũ partes arripiunt, à quibus cõsequenter medicatæ fiunt. Hoc etsi non æquè procedit in omnibus, imprimis maximè solidis, in pleriſq; tamen mineralium idipsum evidẽter demonstrari posse sole meridiano clarius est. Et ne in re tàm evidenti & plana prolixus sim, consideremus, quæso, diversa terrarũ & bolorum, tum salium quoq; genera, satis, opinor, constabit, etiam tunc posse aquas subterraneas dictorum ming-

mineralium virtutes imbibere, si vel in natalibus eorundē locis colligātur, vel rivis suis aliunde deductis ea permeent alluantq;. Sic enim aquæ, quæ Vitrioli, salis Nitri, gemmei, vel alterius ejus generis aut boli seu terræ cujusdam mineram perfluit, utiq; illius naturā & facultates nō magis à spirituum commixtione, quàm substantiæ vel Salinæ vel bolaris reali imbibitione recipiet & continebit. Idem de aliis quoq; esto judicium. Duos hosce modos, quibus aquas mineralium facultates accipere dixi, quandoq; conjungi posse minimè absurdū videtur, ita erit una eademq; aqua & à vaporibus atq; exhalationibus mineralium, & insuper quoq; mineras alias alluēdo mineraliū facultatibus imprægnetur: quod quia per se satis rationi consonū, ideò pluribus idipsū demōstrare supersedeo. Colophonidis verò loco placet sequēs experimentū è Chymicorū officina petitū addere, q̄ ad eorū quæ hucusq; ꝓpositā sunt, luculentā declarationē cum miris modis facere videatur, forte nō ingratū est futurum. Sumunt vas terreū bene firmum, sive Retortū vulgò chymicis appellatā, quæ collū habeat nō nimis incurvum: seu cucurbitā vulgò dictam ab iisdem; hanc obliquè in furno ponunt, ita ut tubus, qui in ejusdē ventre necessariò adesse debet extra furnum prominere possit: huic vasi ad furnum ritè adpositō & firmato recipientem adjungūt cucurbitam vitreā aqua fontana semiplenam, deniq; ignē admovent, donec vas ipsum, cui injicienda est materia, ritè candescat, quo animadverso subinde portio aliqua materię alicujus mineralis e.g. sulphuris, stibii, salis petræ aut alterius, per tubulum inditur, tubusque vicissim diligenter claditur, videmus tunc non injucundo spectaculo ex materia injecta vi ignis resolutos & cōcitatos spiritus seu fuliginēs instar nebularum in vas recipiens ꝓdire, quarū fuliginū pars una crassior tēporis ꝓgressu in aqua subsidet & coagulatur,

altera tenuior & ſubtilior aquæ inſenſibiliter cohæret, ac poſtea diu cum eadem aſſervatur, donec tandem temporis progreſſu ob tenuitatem exhalet, & diſſipetur. Quod ſi quis cucurbitæ injicere velit eas ſubſtantias, quæ jam ab omni craſſiori & impuriori parte fuerint liberatæ, ceu ſunt exempli gratia ſales quidam, olea item & ſpiritus nonnullarum rerum, is videbit, materiam ejuſmodi injectam hoc modo totam cum aqua in vaſe recipiente contenta confundi & cum eadem ad tempus permanere.

Hæc ſi quis penitius introſpiciat ac diligentius contempletur, palàm deprehendet, nihil obſtare, quo minùs ſimili ratione aquæ ſubterraneæ exhalationibus mineralium ab igne ſubterraneo ſeu calore terræ proprio ſuſcitatis tingi poſſint, ac ita medicatæ fieri: dùm purior quandoque ſubſtantia duntaxat & tenuiſſima, ſine omni craſſiori mixtura fuliginis inſtar, quandoque impurior etiam & craſſior materia aquis ſubterraneis admiſcetur. Hęc ad propoſitæ quęſtionis aliqualem enodationem pro tempore quadantenus ſufficere poſſe confido, atque Ampliſſimo Auditorio cùm debita obſervantiæ & obſequiorum ſuo tempore & loco cuivis Auditorum declarandorum promptitudine maximas pro patientia iſta & in auſcultando præſtita benevolentia gratias ago.

CON-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn263430286/48
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

CONTINVATIO PROMOTORIS, EIVSDEMQVE PETITIO AD Ampl. ß. Vice Cancellarium.

SAtis quidem seipsam eruditio commendat, nec alieno splendore virtus eget. Hinc *Aristippus* apud Laertium cuidam percontanti, qua in re differret sapiens ab indocto, respondit, *ambos mitte nudos ad homines ignotos & videbis.* Quasi dicat virtute & eruditione præditum in pectore secum habere, quo se cunctis commendare possit. Satius enim esse putat mendicum quam indoctum esse, cum ille tantum pecuniis, hic vero humanitate egeat: cui enim pecunia deest ab obviis eandem petit, cui deest sapientia, nullum solicitat ut accipiat. Hoc est fundamentum nostrum, cur supervacaneum nobis videbatur, præsentem Candidatum nostrum, virum eruditione & virtute præcellentem, *Dn. Johannem Hempelium, Silesium*, longiori virtutis & eruditionis encomio vobis, Auditores, commendare. Cum enim secum gerat illas proprietates, quæ semetipsas commendant, nudum eundem, hoc est, ne quid auribus dare videremur, absque longa virtutis & eruditionis enumeratione in hanc cathedram produximus.

Quemadmodum vero prædictum nostrum Candidatum de gravissima materia doctè differentem attentione singulari audivistis, ita non dubitamus, omnibus manifestum esse, quod longam asperam & arduam virtutis viam eo sudore & labore calcârit hactenus, ut jam ad summum perveniens facilis ipsi sit ejus possessio. Nihil autem hac

ipsa, juxta *Ciceron* nihilius ; nihil quod magis homines ad diligendum alliciat, quippe cum propter virtutem & probitatem eos, quos nunquam videmus, quodammodo diligamus

Hoc est quod movit majores nostros, quò certis legibus & privilegiis constituerent, ut illi, qui præclare in togata militia vicerunt & egregiam operam in optimarum artiũ studiis posuerunt, non minus iis, qui in castris ac certaminibus Panegyricis strenuè militarunt, honorem tanquam βραβεῖον τῆς ἀρετῆς juxta Philosophum consequerentur. Honos enim alit artes, juxta *Tullium*,

——*Laudat aque virtus*
Crescit & immensum gloria calcar habet.

Quis igitur vestrum erit, Auditores, qui non conatibus nostris applaudat & novis honoribus doctoralibus hoc ipso actu panegyrico præsenti nostro Canditato conferendis benè precetur, præsertim cum non tantum honestissimis parentibus natus & ad pietatem atque virtutem educatus, sed etiam exantlatis Philosophici studii laboribus in diversis Academiis per multos annos in omni Medicinæ parte tantos progressus fecerit, ut non solum superioribus septimanis à spectabili tunc tẽporis facultatis nostræ Decano, Viro Clarissimo & Excellentissimo Dn, *Iosepho Lautenbachio, Med. D. & Profess. primario*, pie in Christo hesterna die defuncto, cujus memoria sit in benedictione, nomine Collegii nostri, præmisso tentamine ad publicã solennẽ disputationẽ pro licentia cõsequenda lubens admissus fuerit, sed etiam in respondendo talem sese gesserit, ut P. C. dignum eundem judicarent, qui ad ulteriora tenore legum admitteretur? Quam ob causam subsequenti satis rigoroso examine sine difficultate Decretum facultatis nostræ promeruit, quod interveniente publico reliquorum procerum

cerum Academicorum examine totus Amplissimus Senatus ratum esse voluit. Nihil ergo restat, præstantissime Domine Canditate, quam ut mecum in amœna *Musarum & Apollinis* vireta divertas & pro conficienda Laurea corona Medica mox tibi imponenda, flores varios huic intentioni servientes decerpas, non solũ ornatus gratia, sed ut fragrantia sua per totã vitam ceu signa quædam gẽtilitia, hieroglyphica quadam declaratione te officii tui cõmonefaciant.

Quod autem in communi proverbio dicitur, à maxima parte denominationem fieri, nos adhortatur, ut à *Lauro* faciamus initium. Nosti *Laurum* arborem exoticam esse non indigenam, quam ob causam cum adjectione frequenter *Alexandrina* dicitur: Sic etiam tibi quicquid in te *Lauream Medicam* promeruit, aliunde veniisse statuas, à *Deo* videlicet *ter opt. max.* omnis bonitatis aurore, qui præceptoribus tuis mediantibus τὸ γνωστικὸν intellectus illustrare voluit: tuum erit erga Deum pie vivendo, erga præceptores, grata observantia, quod inte collatum est, prædicando hoc ipsum agnoscere. Si *Lauri* qualitates cõsideras, insignis amarities sese offert, quæ tamen nõ obstat, quò minus utiliter variis affectibus pro conservatione sanitatis inservire possit. Ita te quoq;, qui *Lauream Medicam* promeruisti labor & molestia rerum inquirendarum & perferendarum minimè deterreat: Sicut enim à juvantibus *Lauri* qualitatibus amarities abesse non potest, ita in posterum *Laureæ Medicæ* finem, nominis videlicet celebritatem, ex gravissimorum morborum cognitione & curatione comparatam, sine molestiis atque laboribus non consequeris. *Laurus* inter alia partum difficilem accelerare dicitur: sic tibi quoque promerita Lauru in posterum difficulter non accidet, ea quæ studiis & laboribus Herculeis hactenus tibi comparare voluisti, & gestatione temporis diuturni, mat-

ni, matris instar, quæ fœtum ut partum proprium in utero gubernat, tibi propria reddidisti, mox in conspectum atque judicium aliorum producere. De gallo gallinaceo temporis varietatem prædicente referunt, quod ad *Laurum* libenter advolet, ibique consistat, ex illo fundamento, quo veteres hanc arborem ab ictu fulminis immunem statuebant. Hinc juxta Poetam:

Postibus Augusti eadem fidissima custos.

Hinc *Tiberius* Imperator tempestates & corruscationes nimium expavescens cœlo turbido *Lauream* sibi solitus est imponere. Hinc juxta *Proclum* Laurus custodiæ & incolumitatis Symbolum meritò statuitur. Imò & *Deo sacram* futurorum præsensionem quandam habere creditum est. Tu quoque sub *Lauro Medica* non tantum Zoili tela facilimè vitabis, sed etiam futurorum observatione diligenti non parum autoritatis tibi conciliabis.

Sic illæsa malis constat pulcherrima virtus,
Laurus ut est diris integra fulminibus.

Cæs. in Embl. cent. 2. num. 35.

Lauro majoris ornatus gratia *Rosam* addimus: hanc Græcis ῥόδον dici *Plutarchus* vult, ὅτι ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδμῆς ἀφίησι, διὸ καὶ ταχὺ μαραίνεται, quod odoris fluxum emittat plurimum, quo nomine primo quoque tempore marcescit. Notum est proverbium, *Rosas loqui*, de re videlicet gratissima, jucundissimaque, quam ob causam *Poetæ Venerem ore roseo* loqui frequenter fingunt. Gratiæ quidpiam rosis inesse patet ex *Indorum* monumentis, quorum *Magi* rosam tanti fecerunt, ut ad conciliandum Magnatum animos non alia re libentius quam *Rosis* uterentur. Nec incommode refertur huc istud *Poetarum*, quod *Pallas Vlyssi* in phœnicia Naufrago *Roseum oleum* attulerit, ut eodem perunctus omni detersosqualore dignior & venerabilior appareret. Hinc Rosa non immeritò bonæ famæ, beneficentiæ & humanitatis

Hiero-

Hieroglyphicum eſt, cui tu quoque ſedulò dabis operam, nec hominum pravorum ingratitudine vel aliis vitiis te commoveri patiaris: ut enim cantharides & ſcarabæi fœtoribus ac ſordibus, queîs debent originem ſuam, delectantur & roſis inſidentes odorum ſuavitate torpeſcunt & emoriuntur: ita beneficentia & humanitate bonorum gratiam non tantum facilime conſequeris ſed etiam monſtris ejuſmodi terræ ſummam ægritudinem animi conciliabis. *Roſis Amaranthum* ſubjicio, Græcis ἀπὸ τῦ μὴ μαραίνεθαι dictum, quod nunquam marceſcat, quam ob cauſam ſepulchra Amarantho coronari ſolita ſcribit *Philoſtratus*, orto à Theſſalis initio, Achillis tumulo ad eum modum coronato. Flores hujus cum roſis conjungimus, quò marcorem immaturum præcaveamus, propterea quod perennitate ſua conſtantiæ Symbolum eſſe videantur. *Cæl. Rhod. lib. 17. c. 21.*

Quid enim proximo beneficentia & humanitate tua prodeſſes, niſi ſit perpes & conſtans ab animo præſenti & intrepido profecta. Quod olim heros quidam *Fabricius Geſwaldus Neapolitanus*, equeſtrium copiarum ductor egregius, *Camerario in Embiematis* referente, faſciculum ex hiſce floribus ſpicatis colligatum in ſigno ſeu vexillo militari depictum geſtans innuere voluit, ſe ſcilicet officii ſui memorem conſtanti animo peracturum, quæ provincia ſibi demandata requirere videretur. Supereſt reliquis addendus *Crocus*, quam plantam *Theophraſtus* & alii rei herbariæ ſcriptores antequam in florem ſeſe exerat, concultatam nonnihil ac pedibus leviter attritam poſtea pulchrius renaſci, feliciuſque germinare referunt. Inſignis virtus *patientia* eſt, ſi non lædas à quo læſus es: magna fortitudo, ſi læſus remittas; magna gloria, ſi cui potuiſti nocere parcas, ut habet *Iſodorus*. *lib. 1. nu. 61.* *Soliloq. lib. 2.*

Nam juxta Poëtam

——*Levius fit patientia*
Quicquid corrigere eſt nefas. *Hor.*

Ut autem *crocus* pedibus conculcatus flores profert lætiores, ita non rarò patientia & humilitas gloriam antecedit.

Ovid. *Perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim*
Sæpè tulit laſſis ſuccus amarus opem.
Pulchrior ut creſcat teritur crocus: ô furor ingens
Lætior ut poſſis ſurgere, nolle premi.

Cam. in Embl. lib. 1. num. 75.

Hæc tibi, mi Candidate, pro *Laurea Medica* confi-cienda ſufficiant, quam *Hedera* connectere placet, non quidem quaſi virtus & eruditio tua ſuſpenſa indigeat hedera, ſed ut ulterius intelligas, in te fruſtrà *Lauream* iſtam conferri, niſi totis viribus eò allabores, quo conſtanter facias illud, quod dignitatis, & honoris tui titulus requirit. Noſti plantam hanc non tantum æſtatis calorem intenſiſſimum, ſed & hyemis frigus omni vitali principio inimiciſſimum virore ſuo perpetuo ſuperare. Tuum igitur erit, conſtanti laborum & ſtudiorum conatu veritatem in re Medica non tantum inquirere, ſed etiam falſarum opinionum & hereſeum Iliadi reſiſtere. Quod ipſum *Serpentes* tibi innuunt, qui potius ſub *hederâ*, quam alibi latitare ſatagunt, æſtus videlicet & frigoris violentiam perpetuò hîc eludentes. Hanc *prudentiam* imitari te decet: nunquam enim ſub *Laurea Medica* per hederam connexa latitabis, quin pro telis adverſariorum expugnandis arma ſufficientia tibi ſubminiſtrentur. Sed *ne quid nimis*: id quod eadem hedera nos docet, quam interius immodicè ſumptam mentem perturbare notum eſt, licet exterius uſurpata non parum utilitatis adferat. Auream ergo mediocritatem in omnibus actionibus reſpicias, nam juxta Poëtam——

Rectius vives —— neque altum
Semper vergendo, neque dum procellas

Cautus

Cautus horrescis, nimium premendo
——littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit tutus, caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
——Sobrius aula.

Sed alea jacta est, *Laurea* compacta est, nil restat, quam ut eandem, præstantissime Domine Canditate, tibi per publicam Doctoris Medici renunciationem solenniter imponam. At verò cum idipsum sine concessione sacræ Cæsareæ Majestatis fieri non possit, tuum erit, ut supplex ad genua procumbens eandem nobis implores. Quandoquidem vero talis concessio mediante Illustrissimo & Celsiss. Principe ac Domino, Domino LUDOVICO, Hassiæ Landgravio, Comiti Catimelibocensi &c. Fundatore hujus Academiæ munificentissimo, Domino nostro Clementissimo, pro tempore penes Consultissimum & Amplissimum virum, Dominum Gothofredum Antonium JCtum & Antecessorem celeberrimum, Cancellarium Academiæ spectatissimum sit, ejusque propter adversam valetudinem absentis in hoc actu partes sustineat Vir Reverendus & Clarissimus, Dominus JOH. WINCKELMANNUS, S S. Theol. D. Profess. & Academiæ nostræ Rector Magnificus, ad M. E. nos convertimus, officiosè rogantes, ut his cœptis annuat & desiderio nostro satisfaciat.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn263430286/55 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

CANDIDATO IVRAMEN-
TVM IMPONITVRA
Promotore.

Cœl. libr. 19. cap. 14.

GAudium, juxta *Platonem* nihil aliud, quam jucunditatem esse statuitur, quæ de contemplationis aut virtutis cujusdam majestate profluat. Hinc in *lib. de pulchritudine*, cum de cœlesti, id est vera vita differet, ali animum scribit contemplandæ veritatis usu & gaudere. Inde fit, ut apud eundem gaudium mentis alimonia nuncupetur. Tale gaudium, omnino malum esse nequit, etiamsi *Poetæ*, dum *mala mentis gaudia* dicit, satius visum sit publica vocabuli notione, quod volebat, explicare; sibique connexam habet perpetuitatem, contrarii nesciam.

Hoc gaudio pro tempore te quoq;, mi Domine Candidate, gloriari posse, nullus dubitat, dum illud, quod semel tantummodo per totam vitam exoptasti, supplex non difficulter obtinuisti. Rem igitur aggrediamur, & quod superest exequamur, quod priusquã fiat, tuum erit, ut juxta normam statutorum ad sequentia capita tibi prælegenda jurejurando temet adstringas.

Iuramentum à ministro Academiæ præ-legitur.

RENVN-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn263430286/56 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

RENVNCIATIO.

QUod igitur auſpicatò fiat, ac in Reipub. & multorum hominum ſalutem vergat, ego *GREGORIUS HORSTIUS Med. D. & Profeſſ.* p. t. Promotor nomine Collegii noſtri ritè deſignatus, Autoritate Cæſarea legitimè mihi conceſſa, juxta Decretum Collegii Medici ab Ampliſſimo Senatu Academico conſenſu unanimi confirmatum, te

Johannem Hempelium Francoſteinenſem Sileſium

MEdicinæ Doctorem creo, renuncio & proclamo, tibique omnes immunitates, omniaque privilegia Doctoribus Medicis ubivis terrarum conceſſa tribuo, docendæ, exercendæque Medicinæ poteſtatem ampliſſimam facio, in nomine DEI Triuni, Patris, Filii & Spiritus Sancti.

Inſignium declaratio.

JAm ſalve Domine Doctor, & ea quæ ſapiens vetuſtas ceremoniarum inſtar his actibus addere voluit paucis percipe.

Quod ergo primum eſt in *Cathedram* hanc ſublimem te aſcendere jubeo: poſtquam enim Doctoris titulum conſecutus es, re ipſa quoque te Doctorem eſſe poſſe demonſtro; eſt enim cathedra docentium inſigne, quos alios longè præ-

gè præcellere neceſſarium eſt. Nam ut is qui veſtem ad ſolem explicat omnem implicitam labem facilimè dijudicat, ſic etiam qui docet alios, intricatos errores deprehendit & ſeipſo quotidiè fit doctior.

Porro *librum* exhibeo, quo veteres amorem erga literas innuebant, minimè ſcilicet in hoc honore conſtitutis libros eſſe deponendos, cum potius *Alphonſum Arragoniæ & Siciliæ Regem* potentiſſimum imitari debeant, qui licet eruditiſſimus erat, nunquam tamen, *Panormitano referente*, ſine libris ad expeditiones bellicas abibat, ita ut Capuę graviter decumbens lectione *Q. Curtii* ſe curatum fuiſſe ſtatueret, &*librum apertum pro ſuo inſigni gereret.*

Hunc librum primum aperio, quo contenta tibi magis pateant: vides enim eſſe Codicem M. Hippocratis, qui primus artem noſtram in ordinem redegit & hanc ob cauſam immortalitatis nomen inter coætaneos ſuos ſibi comparavit. Hic primus artem noſtram longam, vitam vero brevem pronunciavit. Hujus ut & aliorum Græcorum, Arabum & Latinorum monumenta nunquam deponas, ſed eorum exemplis edoctus occaſionem in arte noſtra voluerem, experientiam periculoſam & judicium difficilimum eſſe diſcas. Rurſus eundem librum tibi claudo, ne ſervili quadam judicii imbecillitate huic vel illi juratus ſis, ſed lecta cum Naturæ principiis conferas, cum hac ipſa diſſentiente Medicorum intentiones omnes corruant.

Tertio loco *pileum* impono, quo honoratiores inferiorum reſpectu teguntur, quam ob cauſam fortaſſis veteribus etiam ſignum libertatis erat pileus.

Te quoque non tantum inſtar ſervorum apud veteres per manumiſſionem ad pileum vocatorum libertate donatum, ſed in honoratiorum numerum receptum eſſe

hoc

hoc ipso ritu colligas, inter quos eò magis excelles, quo magis pilei gestatio canos augebit, quod habet philosophus, hoc est, quo magis res senibus proprias ac tuis honoribus dignas perficies.

Annulo quarto loco digitos tuos exorno, quò non tantum colligas dignitate tua plebejos, quibus jus aureorum annulorum non conceditur, te longè superare, sed simul eundem quasi pronubum esse dico, quo tanquam sacro Symbolo Medicina tibi fide conjugali jungitur, cujus materia purissima, scilicet aurum, metallum præstantissimum, *sinceritatem*, figura vero circularis ejusdem tam fine quam principio destituta *perennitatem* amoris illius innuit. Tuum igitur erit, qui Sacræ Medicinæ conjugio junctus es, ut de existimatione ejus perquàm sollicitus sis, teque in officio contineas, quod in aliquibus Europæ scholis per *cingulum* novis Medicinæ sponsis exhibitum indicari consuevit.

Osculo tandem te amplector, non temerario, quale fuit illud, propter quod *Leptitanus* quidam à *Severo, Legato proconsulari Romano in Aphrica* fustuario fuit admotus, referente *Sabellico lib. 5. En. 7.* adhibito elogio; *Legatum Populi Romani plebeius homo non temerè amplexabitur*: Sed amico, quo veteres advenientes excipere solebant, *Augustino teste* quò pateat omnibus in consortium atque civitatem Medicam te plenariè receptum esse.

Denique nil restat, quam ut Laureæ Medicæ fructus eminenter in te luceat, quod *faces ardentes* in meridiano lumine succensæ nobis innuunt, splendeat ergo lux eruditionis & virtutis tuæ, ut omnes intelligant ab inscitiæ & vitiorum tenebris te remotissimum esse.

Votum.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn263430286/59
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Votum.

Quid tandem superest, Hempeli, *digne coronæ*
Et Lauro: Medica, quam promeruere labores,
Queis tibi Pœoniam dudum scrutarier artem,
Queis placuit morbos, horum causasq; latentes
Indagare? brevi conatu, quod volo, dicam:
Sis Doctor felix, ægroti sint tibi multi
Fidentes: multos curabis, sed tibi fidant
Est opus: hinc etenim spes est non vana salutis
Ægrorum; Medici tibi sic quoq; dante Iehova
Doctoris titulus maneat tam nomine quàm re.
Annuat his votis divina potentia, Laurus
Ista tibi vigeat florens ad Nestoris annos.
Iam supereſt, grates resones ad numina quorum
Indultu præsens tibi contigit actus honoris.

GRATIARVM ACTIO.

REctissimè olim Chilon ille, teste Laertio, dixisse fertur: Beneficii dati oblivisci, accepti meminisse oportet. Vulgus hominum contra facit: si quid cui benefecerunt, sine fine prædicant, & sine modo exaggerant: si quid in ipsos collocatum fuerit officii, mox aut obliviscuntur aut dissimulant, secus faciunt ii, quibus de meliore luto finxit præcordia Titan?

quibus

quibus ob id nefas est benefactorum de se querelas audire, quorum animus, dicente Seneca, ipsa virtute propositi sui capitur : qui omnibus in posterum bonorum officiis carere nolunt, quod asserente Ciceronenihil tàm immane, tam ferum sit, quàm committere, ut quis beneficio non dicatur dignus : qui denique turpissimo illo ingratitudinis crimine animum, vitam ac famam polluere verentur. Ergò & hunc solennem actum meritæ claudunt gratiæ iis debitæ, quorum ope subsidio consilioque hucusque proficere, ac quorum salutari directione ad optatam istam studiorum Academicorum metam feliciter appellere licuit. Te igitur, ô æterne Deus, clementissime pater, syncero animi mei cultu veneror, tibi mens mea meritæ laudis hymnum accinit, quod pro paterno tuo affectu & benignitate non solùm me animâ humanâ & intelligente donatum in hanc lucem produxeris : Sed insuper etiam à primis inde ortus mei principiis mille beneficiis, paternæ tuæ providentiæ luculentis τεκμηρίοις me liberaliter & benignè affeceris : imprimis verò, quod me scholis seu rectiùs latebris Pontificiorum maturè ereptum statim à primis annis ei discentium cætui adjunxeris, cum quo veritatis Evangelicæ synceram doctrinam cum ipsa quasi ætate hausi, ac præterea ab instructoribus fidelissimis in necessariis artium & linguarum principiis sui fideliter instructus.

Quin & hactenus in omni vita, imprimis eo tempore, quo ſtudiorum cauſa in diverſis locis & Academiis vixi abundè & mille modis gratiam tuam ſum expertus, dùm me ab omni graviori infortunio, etiam quandoque in periculoſo rerum ſtatu, defenſum, incolumen hucuſque conſervaſti, neceſſaria pro vita & ſtudiis ſuſtentandis largiter ſuppeditaſti, iiſdemque aura clementiæ & favoris tui faviſti, ac benedictione tua hucuſque promoviſti.

Majora ſunt hæc omnia beneficii tua DOMINE, quàm quæ vel verbis ſatis gravibus efferri à me, vel dignis pro merito laudibus ſufficienter deprædicari poſſint. Laudabit te DEUS anima mea: laudabo TE DEUM meum quàm diu fuero: omnibus diebus vitæ meæ non obliviſcar beneficiorum tuorum DOMINE: ſemper laus tua in ore meo: ſemper ad gloriam tuam vigilabit ſpiritus meus. Tu quoque impoſterum gratiâ tuâ mihi adſis, ut tua ope ſuffultus nihil vel mente concipiam, aut opere efficiendum ſuſcipiam unquam, præterquam quod ad divinæ tuæ Majeſtatis laudem & gloriam, proximique emolumentum unicè directum ſit. Fave ô benigniſſime pater huic Academiæ, in qua vera de TE & filio tuo CHRISTO JESU doctrina ſyncere docetur ac diſcitur: ac præterea diſciplinæ & artes ad vitam hanc neceſ-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn263430286/62 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ſariæ traduntur atque exercentur : ſpiritu ſapientiæ tum docentium tum diſcentium animos largiter imbue, ut quiſque eorum ſuo loco tibi grata & accepta faciat, ſanctumque Nomen tuum muniis vocationis ſuæ fideliter præſtitis ac pia inſuper & decenti vita ſanctificet & celebret. Confunde & diſperge omnes, qui hanc non ſalvam non florentiſſimam cupiunt pietatis & bonarum artium officinam, eandem Tu contra maledicos benedictione tua amplifica & illuſtra, ut ex hac ipſa per Te corpus ſocietatis hujus mundanæ plurimum ædificetur ac inſtauretur. Serva Illuſtriſſimnm ac Celſiſſimum Principem ac Dominum, Dn. LUDOVICUM Haſſiæ Landgravium &c. Fundatorem & Nutricium hujus Academię longè munificentiſſimum, cum illuſtriſſima conjuge & familia inclyta, ut ſub ejuſdem patrocinio ac nutricatu inclytum hoc Athenæum quàm diutiſſimè vigeat, floreat, celebretur.

Invictiſſimo & Auguſtiſſimo Romanorum Imperatori RUDOLPHI II. beatiſſimæ memoriæ, ſecundæ poſt DEUM gratiæ, cum debitis meritæ laudis prędconiis jure debentur : Cujus clementię verè heroicæ, & ob id æternis literarum monumentis celebrandæ inclyta hæc Gieſſena omnia ſua jura & immunitates omniaque privilegia meritò accepta refert : ac inter alia etiam ea, quibus ad imitationem totius Imperii Romani Academiarum

omnium plenam ac perpetuam obtinet potestatem, summos honorum gradus cum omnibus privilegiis & immunitatibus ordini Academico à summis Imperatoribus concessis Facultatum Candidatis plenè conferendi. Hoc beneficium ut meritò maximi æstimat inclyta hæc Academia, ita multò magis nos, qui abundè hoc ipso in ea nunc fruimur, grato animo agnoscamus, ac in ejus celebratione toti per omnem vitam occupemur. Erit Cæsareæ hujus ac verè heroicæ beneficentiæ monumentum superstes, quàm diu celeberrimum ist hoc Athenæum, quàm diu orbis ipse supererit.

Augustissimo item & Invictissimo Romanorum Imperatori MATTHIÆ, divina gratia nunc temporis ad clavum Imperii constituto, immortales gratiæ cum æternâ nominis Imperatorii celebratione, debentur, cujus beneficentia omnia hujus Academiæ jura & privilegia abundè & liberaliter fuerunt approbata & confirmata. Nostrum est, supremum illum universi orbis Monarcham DEUM ter OPT. MAX. intimis cordis nostri suspiriis venerari, ut regalem istam laudatissimi Imperatoris clementiam imperii felicitate, consiliorum salutarium prosperitate, vitæ longitudine ac incolumitate omnibusque bonis aliis copiosè remuneretur. Et verò unde exordiar? unde verba mihi suppetant, quæ meritis ac beneficiis Illustrissimi & Celsissimi Principis

ac Do-

ac Domini Dn. LUDOVICI Haſſiæ Landgravii &c. Domini noſtri Clementiſſimi dignè reſpondeant? oratio deficit, non animus, verba ſatis gravia, non conatus, quibus tot moleſtias & labores, tot ſumptus pro dignitate efferam & deprædicem, quos Illuſtriſſimus Princeps ſubire & perferre potuit, donec hoc jus, donec hæc poteſtas, ſummos nimirum honorum gradus Facultatum Candidatis conferendi huic loco acquireretur. Jamdum laudatiſſimi Herois fama per univerſam pœnè Europam undiquaque diffuſa aliquam meritis gratiam retuliſſe videtur: à meatenuitate quid aliud expectari poſſit, quàm ſi piis ad DEUM votis pro ſalute & incolumitate Illuſtriſſimi Principis, cum digna quoque & ſempiterna tanti beneficii deprædicatione gratum animum pro virili demonſtrare ſtudeam.

Magnifico Academię hujus RECTORI, Viro Reverendo & Clariſſimo, Domino JOHANNI WINKELMANNO, SS. Theologiæ Doctori, Profeſſori primario & Superattendenti, pro tempore in abſentia Viri conſultiſſimi & Ampliſſimi Dn. Antonii Godofredi JCti celeberrimi, Cancellarii hujus Academię meritiſſimi, pro Cancellario æternâ gratitudine obſtrictum me palàm fateor, cujus conceſſione clariſſimo & Experientiſſimo Domino Promotori facultas ampliſsima facta eſt honores iſtos Doctorales cum omnibus ad eoſdem pertinentibus privilegiis

& immunitatibus mihi conferendi : Meum erit ingens istud beneficium omni tempore apud quosvis meritis modis deprædicare, ac debitam observantiæ & obsequiorum promptitudinem pro eo ipso reponere.

Vestrum verò in me & studia mea affectum, Medicę Facultatis Professores celeberrimi, Domini & Præceptores omni animi cultu venerandi, quem hactenus, dum vobiscum fui, pluries comprobastis, imprimis hoc tempore, quo summos istos in Medicina honores judicio & suffragiis vestris impetravi, sicuti verbis dignè vix explico, ita quid pro tantis meritis vobis rependam, ægrè invenio. Imprimis verò Tu Æ Excell. Virundiquaq; Clarissime & experientissime, Domine, Præceptor & Promotor æternum mihi honorande, quid & quantum debeam agnosco quidem, unde verò nunc solvam, vix suppetit. Si enim quod res est ingenuè fateri velim, tui nominis ac eruditionis celebritas tùm insuper erga Facultatis nostræ homines summa humanitas, ac in juvandis eorundem studiis & conatibus mira alacritas & incomparabilis promptitudo ferè solę me in hanc Academiam evocarunt: tuis consiliis & directione instructus cum fructu in hac ipsa hucusq; vixi; te conferente publicum illud mihi contigit testimonium, jura item & privilegia in Arte Medica omnia. Quid verò ego pro his? Ultra vires factę promissiones vani sunt hominis, idcò apud

eo apud bonos vix acceptę. Sufficiat tum inclytę Facultati Medicę, tum T. Excell. animus ad omnia debitę obſervantię gratitudiniſque officia promptiſſimus, cui relligio ſit tanti beneficii oblivi ſci unquam, aut intermittere quicquam, quo vel aliqua ſaltem ratione ſuam in pręſtandis gratitudinis officiis demonſtrare poſſit. Vobis denique Viri Reverendi Ampliſſimi, Conſultiſſimi, Clariſſimi. Experientiſſimi, ſpectatiſſimi, Domini Profeſſores & Hoſpites, tuq; nobiliſſima ſtudioſorum lectiſsimorum corona: Vobis, inquam omnibus & ſingulis cum debita cujuſq; honoris prefatione immortales debeo gratias pro ſummo iſto veſtro in me affectu, favore & benevolentia incomparabili, dum non tantum ſolennem hunc actum ampliſsima veſtra pręſentia exornare, ſed & uſque ad finem ejuſdem ſumma cum patientia adeſſe, & faciles differentibus aures prębere voluiſtis. Omnibus ac ſingulis pro tanta benevolentia quęvis obſervantię officia & obſequia promptiſsima ſuo loco & tempore cuivis comprobanda non promitto tantum, ſed ſpondeo.

DIXI.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn263430286/67
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SLUB DRESDEN
3 1711464

Hydriat. 18

Hydriat. 18.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn263430286/69
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn263430286/70
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG